

rum, & inhabitare domum prope cimiterium, lateribus duplicibus tectam, cum familia decenti. Sed Camerarius post eum ex parte sui officii debet præservare clenodia & ornamenta ecclesiæ, & cameram & officium sacristæ, & diebus festivis ecclesiam cum his, quæ ad ejus ornatum & decorem spectant, ornare, reliquias, plenarium & alia clenodia pro tempore ad altaria ponendo & imponendo. Debet etiam Camerarius emonere census & redditus fraternitatis, & frumenta colligere, sub custodia habere, vendere omni anno, & ex illis præsentias ad memorias dare, nec non fraternitati, & ecclesiæ, & toti curiæ in necessariis præesse cum consilio Domini Decani. Et omni anno facere Decano & cooperantibus computationem de omnibus sublevatis & expositis ex parte fraternitatis, & inhabitare debet domum lapideam ante portam, similiter cum sua familia decenti.

Debent etiam Decanus & Camerarius uti tota curia & suis annexis in licitis & honestis ad usum & profectum eorum æqualiter, sed tamen Camerarius non habebit pecora, vaccas, pullos & hujusmodi, ad evitandum controversias & discordias, quæ ex illis inter ipsos possent evenire. Debent etiam Decanus & Camerarius omni anno vendere fructus arborum pomerii ex parte fraternitatis, & de sublevatis ex his Camerarius faciet etiam computationem. Ipsi tamen sibi reservare possunt gramina pomerii & arbores aliquas, & fructus earum dividere, inter se æqualiter ad usum eorum, nec non confratrum, & sororum, quibus tempore Kalendarum prandio facto fructus ad mensam ministrabunt. Etiam Decanus & Camerarius debent semper in curia personaliter residere propter amissionem rerum, ut eo competentius officia sua valeant exercere. Si tamen aliquis eorum fuerit decrepitus aut infirmus, tunc Decanus aut Camerarius habebit Capellanum, qui vices suas geret tali modo, ut dictum est, & talis Capellanus sit in loco præfens, vel in locis vicinis, ut hujusmodi onus procurationis poterit portare, sit tamen hic Capellanus unus de fratribus.

Nota: ex quo Domini Decanus beneficiatus & Camerarius, juxta nostram constitutionem præscriptam, debent hic in curia residere & divina ac alia eis commissa, in propriis personis respicere; idcirco rationabiliter concluditur, & pro concluso haberi debet per præfentes. Ut singuli Domini fratres personaliter interesse debent nostris divinis, videlicet vigiliis & missis ac aliis solemnitatibus, annuatim in nostra fraternitate peragendis: non admittant igitur Domini confratres, si aliqui Dominorum velint eos hic constituere, allegando nostram constitutionem præsentem, quæ pro concordia confratrum nostræ fraternitatis conservanda & aliis utilitatibus colligibilibus ex ea est hic inscripta.

Nota: ex quo expedit scire, quid per dominos confratres nostræ fraternitatis tenendum sit de redditibus ad officium Decanatus aut Camerariæ, nec non ipsi beneficio deputatis ipso Decano beneficiato aut Camerario, viam uniuscujusque carnis ingresso, & novo Decano beneficiato, aut Camerario reelecto, cui vel quibus de isto anno esse debeant aut pertinere. Idcirco memorati Domini maturâ super hoc deliberatione præhabita definiunt statuendo per præfentes: Qui redditus hujusmodi in casu præfato hinc inde partes habere debent, secundum temporis correspondentiam eosque ut sic ad istum annum sublevare.

XXXIX.

M. IOHANNIS BVSCHII
LIBER REFORMATIONIS
MONASTERIORVM QVORVNDAM
SAXONIÆ,

Ex MSto.

Incipit liber Reformationis Monasteriorum ordinum diversorum, quem compilavit Venerabilis Pater Dominus Johannes Buschk, quondam Prior monasterii in Sulta, ac Præpositus Novi operis prope Hall, [abbreviatus tamen.]

CAPITVLVM PRIMVM.

De initio vite & conversationis fratris Johannis Buschk ante religionem. Et de susceptione ejus in VVINDESEN in Clericum ad probam.

Miseri-

Misericordias Domini in æternum cantabo. Domine Deus meus creator & redemptor meus, iudex & remunerator meus, quantas mihi misericordias ab initio vitæ meæ usque in præsens tempus præstitisti: Ita, quod non fuit hora vel momentum, quin semper multiplicasti super me misericordias tuas; Ut merito continuè dicam, Misericordias Domini in æternum cantabo. In utero enim matris meæ me salvum conservasti, & natum infantem, parentum diligentia enutristi, ac per ætatum gradus in pueritiam ac juventutem perduxisti. Cui in scolam dato ingenium docile contulisti, ita, ut anno nativitatis meæ quinto decimo ad supremum locum boni particularis studii civitatis nostræ, scilicet Zwollis promotus, in decimo octavo anno in Græca, Logica & Philosophia, ibidem nobis tunc lectis, sic profeceramus, ut amplius me ibidem proficere, non posse cognoscerem. Nam duos aut tres artium magistros Parisienses habuimus, cum quibus sæpe disputans, putabam eos errare & me verum habere. Præfui & ibidem in schola quinto loco, in quo interdum plus, quam sexaginta aut octaginta scholares habui frequentantes, quibus Græca legi & Logicam, & in illis eos examinavi. Præfui etiam ad tempus tertio loco. Nam primo & secundo locis magistri nostri præfuerunt. Summus insuper magister noster *Johannes Sele* bibales etiam dedit, cum circa ostium scolæ locus noster erat, ut totam scolam octingentorum aut mille scolarium quandoque respicerent. Parentes ergo mei ad studium universale in *Erfordiam* me volebant transferre, ut caput essem omnium amicorum & cognatorum meorum. Sed ego cogitare cœpi, si jam doctor esses & tunicas varias & foderatas gestares, Doctorque vocaveris, cunctis dicentibus: Domine doctor, bonum mane, bona dies! Si post hanc vitam ad infernum æternaliter concremandus descendere debes, quid tibi tunc prodesset. Frequentius autem de pœnarum inferni æternitate, & gloriæ cælestis infinitate cogitans, attentè consideravi, si æternitatis finem animo posse comprehendere & perspicere. Cum ergo id mihi fuerat impossibile, post multos circuitus considerationum mearum tunc in animo firmiter statui bene deliberatus, quod mundum totum cum omnibus suis oblectationibus vellem deserere, & soli Deo in bono reformato monasterio perpetuo deservire. Hoc enim vocabulum *Ewechlike und ommermer* ad hoc me cogit, ut ita facerem, ac parentes, amicos & cognatos, multo ratus merito, propter Deum vitam æternam ipse derelinquerem. Quod audientes parentes & amici nitebantur me tamen avertere, præsertim mater dicens mihi: fili mi, dum juvenis esses, in lecto comedere voluisti. Non potes jejunare; vis te ipsum occidere? Et in uno te non dimittent monasterio: sed sæpe transmittent ad alia. Tu omnium nostrum caput esse debes, jam nos vis deserere? & plura his similia. Ego autem blandis matri sermonibus respondi, sed corde cogitavi: muliebria vana sunt hæc, nemo pro me ire vult ad infernum: si cælum intrare voluero, id me oportet promereri. Contempsi ergo lacrimas patris & matris, & adiens Canonicum, regularem, qui tunc nuper in terra nostra cœperat reformati, in**deliberavi. In nullo tamen monasteriorum illorum notus fui, sed Dominus *Gerhardus Kalker* junior in domo clericorum *Zwollis* presbyter devotus, misit me cum una scedula in *Windesem* tunc unum milliare de *Zwoll*, cujus viam ignoravi. Sed prædixit mihi, ut securè irem, quod Dominus missurus esset virum, cum viam incepissem, qui me in *Windesem* perduceret. Quod & factum est, nunquam enim fueram in *Windesem*, nec in *Davantria*, nec ad tria miliaria de *Zwollis* ante introitum monasterii. Veniens autem in *Windesem*, statim ad chorum missus fui, & tunc ibidem bonam contraxi notitiam. Alio itidem tempore, cum mihi ordo placuisset, Dominus *Theodoricus Huxen* pater congregationis *Zwollensium* clericorum, scripturus pro me ad patres de *Windesem*, dixit mihi, cum scribam pro vobis, & bene legit, bene cantat. Tandem in *Windesem* ad probam me susceperunt. Misericordias igitur in æternum cantabo, qui mihi hanc bonam inspiravit voluntatem, ut contempto mundo tam sanctum ordinem intrare optarem, & post tanta beneficia à juventute, usque in illam horam mihi concessa, & de sola sua bonitate in ultimo servorum suorum indulta: pro quibus debitas nondum sibi retribuere gratiarum actiones; accumulans insuper adhuc majora bonitatis suæ indicia mihi de monstrare.

SECUNDVM CAPITVLVM.

De susceptione ejus ad habitum & professionem, & de tentationibus, quas in novitiatu sustinuit, ac demum de spiritualibus exercitiis.

Anno igitur Domini c15 cccc XIX. postquam in clericatu fueram in *Wyndesem* per annum & dimidium, in die Epiphaniæ Domini investitus fui in ordine, per Venerabilem Patrem *Johannem de Heusden*, cum tribus aliis clericis, *Godfrido de Teyla*, qui prior post factus est in *Wittenborch*, *Johanne Naeltwic*, qui postea Prior in *Nazareth*, post Prior factus in *Wyndesem*, & *Hermanno Zantis*, omnium nostrum meliore, domi quasi semper remanente.

Anno vero sequenti eodem die omnes pariter fecimus professionem. Quantas autem in novitiatu passus fui temptationes, præsertim de fide catholica, novit ille, qui nihil ignorat, Deus. Ipse enim Deus gloriosus & magnus erat in corde meo, quod non poteram concipere, quod carnem induisset & tam pauper & despectus super terram ambulasset. Et quando Evangelia in refectorio legebantur, cogitavi, quod Evangelistæ illum hominem laudare vellent, & cor meum intra me clamabat: tu scis, quod non est verum, quod ille Ihesus sit Deus, & tamen dixi in corde meo, ego mori volo pro eo, quod ita sit, & clamabat ad me, cor meum: tu vis mori pro eo, & videbo quod nihil erit. Cum autem Augustinus & alii doctores post quadringentos annos dicerent & scriberent, ipsum Jesum esse Deum, cogitavi, mirum, quod illi prudentes viri ita desipuerint, quod virum illum, quem nunquam viderunt, Deum esse auderent dicere. Et quamvis ita temptatus fui, eram tamen bonus & verus catholicus. Sed optimus Deus me ita temptari permisit, quod plures post de simili temptatione fatigatos, experientia edoctus, liberavi. Et ego quomodo etiam fueram liberatus, continetur epistola, quam scripsi *Erfordia* ad quendam fratrem ordinis Benedicti. Temptationes etiam carnis habui novitius. Instigabat autem Sathan, ut necessario ab intra cogitarem in lecto jacens de carnalibus, qui nunquam cognovi mulierem, quomodo negotium id se haberet: nesciens tamen, quod interdum cogitarem, quod, ut post intellexi, non sic erat, ut cogitavi. Cor tamen meum mihi fuit calefactum, caro pruriens me mihi evellere non sinebat. Manum tandem de tegmine levans, dixi, ore & manu contra temptationem reclamans: ego non consentio. Sæpius illud iterans, ego non consentio; tu diabole non debes temptare servum DEI: tandem dormivi. Alia vice similiter in lecto temptatus dixi intra me, adest, qui ad tormenta & ignem inferni te ducere conatur, & nudo capite & pedibus in camisia exilui de lecto, ante lectum ad genua nuda me ponens, donec cessaret temptatio corpore in frigidato, & oratione ad Deum & sanctos ejus profusa. In hac jam ætate non patior tales temptationes. De vana gloria, superbia, impatientia, suspitione temptationes, quas habui, de facili poteram abigere, quod tunc unus contra unum pungebat: in carnalibus duo contra unum, quod caro & temptator contra animum reluctantem. Cum enim vericulum novitius cantarem, cogitavi: Laici retro in ecclesia in genibus jam jacentes cogitant, quod bonam vocem habet Fr. Johannes. Cum alius novitius cantabat, cogitavi, jam Laici cogitant, hoc nihil sonat nisi sicut suber. Raro etiam aliquis fratrum exhibat chorum vel aliquid fecit, quin de eo varias hujusmodi suspitiones cogitans: jam ille stare in choro diutius non potest. Ille propterea exit, quod illac vel illac ire vult. Vnus in choro frequenter spueri consuevit, cogitavi, quod multas haberet temptationes, quas à se expuendo reppulit, & si de similibus novitius plenus est suspitionibus, sicut ovum plenum lactiniis. Misericordias igitur Domini in æternum cantabo, qui me non solum à multis temptationibus liberavit, sed per easdem temptationes in bonis radicatum me firmavit, dans mihi linguam eruditam, ut eum, qui lapsus est, opere sustentare possim & sermone. Professione autem ipso anniversario Epiphaniæ peracta, propter parentum & amicorum meorum præsentiam à temptationibus præfatis ex toto non fui liberatus, quibus coopertus fui usque ad solarium domus. Sed in die Agnetis, quod tunc iterum communicavimus, omnis temptatio præterita à corde & sensibus meis recessit, & Jesus mihi respondit: Tu jam meus es, & ego tuus. Temptationibus istis recedentibus à corde meo, videre cœpi & gustare, quam suavis est dominus, Deo vacare, Deum cognoscere, frui & intelligere. Et quomodo ad id perveni, scripsi in quibusdam sermonibus de Nativitate Christi super Evangelium: cum natus esset Jesus in Bethlehem Judæ, videlicet: quomodo nascitur in anima nostra; & in sermone de passione Domini, & in duobus sermonibus de Spiritu S. notabilibus, quosque confectos scripsi ante Sacerdotium: sed presbyter factus, in meliorem formam eos perduxi. Cum etiam postmodum motus seu inclinationes ad vitia sive peccata in me persenssi, vel quando ab aliis fui offensus, tunc in quodam parvo libello scripsi bona remedia ex corde concepta, aut ex Scripturis sanctis elucubrata, quibus ad pacem cordis me reduxi, ut talibus malis inclinationibus possem resistere: & quod Deum mihi repræsentarent, cum illum orare & invocare satagerem, & quomodo ad ejus cognitionem & amorem possem melius pertingere. Singulis quoque diebus habui specialia exercitia [quasi] duo vel tria fercula: si unum mihi non saperet, quod saltem aliud animum meum ad Deum & Sanctos ejus elevaret; totumque Psalterium, Prophetas, Cantica canticorum & multa alia in Scripturis divinis ad me ipsum retorquebam, quasi ego ea composuisssem; quod ego in Novitiatu talia in animo passus fui, quæ merito in singulari non incongrue ad Deum dicere & orare conveniebant, ita ut totum pene psalterium de me & Deo colloquendo exprimere potuissem; similiter & cantica canticorum. Frequentius autem aures ejus inclinando pulsavi, ut propter me vacare & videre liceret, quam ipse est Deus & gratiam internam & externam ad id præstaret, sed sibi ita non placuit. Ostendit mihi faciem suam aliquando, sed cito retraxit manum suam. Misericordias tamen Domini in æternum cantabo, quam infinita dona sua mihi servorum suorum minimo contulit, & usque in præsens conferre dignatus est; qui multis aliis me prudentioribus & melioribus non de-

dit, sed negavit. Utinam sibi ex omnibus viribus meis gratus esse possem, & in corde meo semper presentem habere & circumferre, ut omnes cordis mei deliciae & laetitiae in ipso solo consistere & permanere: intraveram autem monasterium, ut mundo mortuus esse possem, & non vivere in sede alicujus creaturae, sed in solitudine delitescere. Placuit autem Deo, & per patres meos Johannem Vos, Priorem in Wyndesem, & alios Patres venerabilis capituli nostri generalis misit (*) me ultra *Coloniā* ante sacerdotium in *Bodingen*, cum essem Diaconus, ad viginti miliaria de Wyndesem, postea de novo in monasterium Canonorum regularium fundatione & erectione, cum aliis de Wyndesem, *Dirico Linian* de Northorn, patre *Arnoldo Huls* postmodum Priore in *Bodike* partium Westphaliae, & *Wilhelmo Keppels* fratre devotissimo, postmodum Priore in *Northorn*. Praefatus autem pater *Wilhelmus Keppel* & ego ambo diacones, *Coloniae* in cathedrali ecclesia presbyteri fuimus ordinati, & primas nostras missas in *Bodingen* cantavimus. Ego in una Dominica post exaltationis Sanctae Crucis: ipse dominica sequenti; uti pariter venimus, inde pariter post quatuor annos & tres menses quisque ad monasterium suum recessimus. Haec ego praemisi, ut misericordias Domini per me in aeternum cantandas enarrarem fortius, perveniens ad narrationem reformationis diversorum monasteriorum & ordinum utriusque sexus per me, & alios magnos patres, praelatos, Ecclesiasticos & Principes seculares, dextera manus DEI nobis obfetricante, perductorum.

CAPITVLVM TERTIVM.

*De pia fundatione monasterii beatae Mariae in BODINGEN Diœcesis
Coloniensis in ordinem canonicorum regularium: Item de
adversitatibus ibidem occurrentibus.*

Monasterium B. Mariae in *Bodingen* Diœcesis Coloniensis, in ditione Ducis Montensis, in Comitatu de *Franckenberch* situatum, Venerabilis pater *Arnoldus Husi*, *Theodericus Liman*, *Wilhelmus Keppel* & ego frater *Johannes Busch*, duo fratres de *Wyndesem* & duo de *Northorn* monasterio, ad observantiam perduximus regularem de mandato Capituli nostri generalis, per Venerabilem patrem *Johannem Husden* illuc transmissi, ubi magnus tunc hominum fuit concursus ad imaginem B. Mariae Virginis per totum annum, praecipue in festo B. Mariae Visitationis: ubi uno ejus Visitationis festo plus quam centum *florenos Rynenses* oblationes suscepimus in valore, in pecunia, auro & argento, cera & mobilibus, ceterisque similibus. Imago B. Mariae, Christum de cruce depositum habens in sinu, per revelationem Incluso cuidam factam *Coloniae*, de ligno expolita & in *Bodiken* monte deportata, magnum ibidem fecerat hominum concursum. Nam ad triginta miliaria supra *Bodike* & infra & etiam circumquaque concurrebant homines sexus utriusque dicentes, se & suos per invocationem ejusdem imaginis & B. Virginis à multis tribulationibus & infirmitatibus liberatos, ita ut ejus invocatio etiam mortuos plures suscitasset. Ex quibus oblationibus pulchra lapidea testudinata fabricata fuit capella, benè tecta, cum turri & campanis, altaribus, sacristiis & aliis ad divinum cultum requisitis, ubi quatuor vicarii perpetuati singulis diebus horas cantabant canonicas, duas quotidie missas celebrabant quoque; praebendae singulorum triginta dicebantur valere *florenos*; oblationes quotidianas sub debita custodia reservabant plures, volentes inde constituere vicarios, qui divinum officium cum eis majori solennitate peragerent. Isti vicarii postmodum facti sunt discordes. Tunc Dominus *Arnoldus Dux* Montensis & *Juliacensis* de consilio multorum Praelatorum & militum, quod in terra sua locus positus fuerat, cultum divinum volens ampliare de pecunia ibidem inclusa, misit ad Papam & impetravit, ut idem locus sive capella in Monasterium Canonorum regularium erigetur. Quod Papa commisit Abbati ad S. Martinum ordinis S. Benedicti *Coloniae* examinandum, & si ita esset, ut in narratione accepit, Capellam illam in monasterium Canonorum regularium erigeret; praebendas mortificaret, & personas ejus faceret translatos in statum Canonorum regularium. Praefatus autem Abbas ad instantiam citavit praefatos vicarios duos: alii duo enim consenserant pro praebendis suis alias recipere provisiones. Qui praesentes quum non opponerent causas rationabiles, quare dicta capella erigi non deberet in ordinem nostrum, auctoritate sedis Apostolicae omnia per Papam decreta confirmavit. His autem omnibus instrumentatis, auctoritate Apostolica prohibuimus illis duobus vicariis regimen chori, si nobiscum ex libris nostris cantare vellent nec possent; alias non ita ab eis liberati fuimus, ac denuum in Die Visitationis B. Mariae processionem servavimus, oblationes tulimus; chorum super alium chorum inferiorem fecimus, ne peregrinos viros & feminas, propter altitudinem montium ferfas, & se nudantes aspiceremus, sed in quiete Domino Deo & B. Mariae serviremus. Domus etiam dotis pro refectorio & dormitorio & ceteris officiis nobis coaptavimus, et transitum superius de dormitorio ad Ecclesiam construximus, & bonum ibidem monasterium ordinis nostri instituimus. Quatuor ibi annos complevimus, & novem fratres investivimus, laicosque & familiares pro nostra competentia assum.

assumpimus, & ordinem nostrum ibidem sic fundavimus, qui usque in præsens in bona ibidem permanet reformatione per capituli nostri generalis de Wyndesem incorporationem. Nulla ab interim ibi fuit adversitas, quia antiquos fratres illius loci non habuimus: Sed quidam seculares, sicut *Comes de Verrenborch* [ad fl. Nette in Trev. Virneborg] in castro nobis vicino habitans, verbis nobis contrarii fuerunt, tenentes partem vicariorum inde rejectorum, cum debita tamen provisione. Archiepiscopus Coloniensis Dominus Theodericus de Murs, [Morse] venit ad nos Dominica Lætare in jejunio, septem missas de B. Virgine, *rorate celi*, sibi petens legi sive cantari, quod & fecimus, summam missam in summo altari de ea cantantes. Ad singulas missas obtulit candidam ceream unius talenti, & denarium Coloniensem. Dux etiam Montensis *Adolfus* cum filio suo Duce Juliacensi audierunt die celebri summam ibi missam in genibus, quam ego cantavi, & singuli florenum aureum Reneasem obtulerunt. Idem Monasterium causa fuit, quod *Capitulum Nussense* capitulo nostro generali fuerit unitum. Nam cum præpositus Nussensis & Prior de Northorn coram Domino Coloniensi contenderent de habitu & statutis, Præpositus dixit: patres isti statuunt, quod per se non servant, videlicet ad mensam silentium. Respondit Prior *Hinricus Loder*: habemus in statutis, quod ad mensam servare debemus silentium. Si frangimus, debemus legere septem psalmos pœnitentiales, quos semper legi, cum non servavi silentium, tribus tamen vicibus exceptis. Tunc dixit Archiepiscopus accipiens tunc cappam præpositi: Non obest vobis aliud, quam istud liripipium. Tandem promisit Præpositus Nussensis, quod se unire vellet capitulo de Windesen. Quod factum vidimus. Quamvis ab interim adversitates non habuimus, in multis tamen rebus penuriam sustinimus. Nam quando opera in hyeme satis non habuimus, truncum sæpe sub capite pro pulvinari subposui, & truncum alium super pedes, pro calefactione eorum, & quando aliud satis ad comedendum non habuimus, pane & butyro rugientem animum satiavimus, dicente patre: *Si brevis est caliga, sit tibi longa liga*, h. e. si tibi alia non adsunt, panis & butyrum non deficient. Misericordias igitur Domini in æternum cantabo, qui ad hoc me elegit, ut coadjutor tanti boni essem, quando in illo monasterio plures animæ poterunt salvari, per tempora ævi nostri; & per fratres ejusdem monasterii etiam seculares plurimi ad Deum & ad bonum per eos sæpe convertuntur. Anno enim M. CCCC. XXIII. perveni in *Bodingen*.

QUARTVM CAPITVLVM.

De Reformatione monasterii S. Martini in LVDINKERKA.

Monasterium S. Martini in *Ludinkerka* partium Frisix, ordinis nostri, Trajectensis diocesis, anno Domini M. CCCC. XXVIII. inceptum est reformari, quod prius fuit Abbatia solemnis ordinis nostri. Ante reformationem pauci ibi fuerunt sacerdotes, & plures conversi ultra 30. aut quinquaginta, qui pactum fecerant cum conversis Conniani monasterii ordinis Cisterciensis, ad unum miliare inde distans, quod mutuò se juvare vellent cum centum viris armatis: idcirco totam illam Frisix partem sibi subjugaverant. Quidam autem vasallus circa monasterium in castro habitans, de consilio *jurisperitorum*, quorum copia est in *Frisia*, retulit ad Episcopum Trajectensem de mala & pessima eorum vita, quorum nullus erat continens & omnes proprietarii, habentes secum moniales in monasterio, quæ aliquando imprægnatæ genuerunt. Cognovi ibi Abbatem, cujus pater conversus dictus fuerat, mater vero monialis; qui tamen Abbatiam post resignans, monasterium capituli nostri prope *Helen* ingressus est, & ibi professus, feliciter consummavit. Episcopus autem *Fridericus de Blankenheym* vir prudens & literatus misit illic Ambasiatores suos, viros doctos & juris peritos, qui personas dicti monasterii visitantes, invenerunt omnes penè conversos sine regula & professione ibi intrasse, & usque tunc in præsens ibidem per multos annos sic permanisse. Quærentes autem quomodo ad habitum converforum assumendum pervenissent, responderunt: quam primo hic intravimus, plures hic vidimus alba tunica, & scapulari indutos, & tamen in armis bellicis expeditos. Comparavimus igitur etiam nobis album pannum, unde tunicas albas, capucia alba, scapularia nobis fieri procuravimus, & per nos ipsos eas induimus. Interrogarunt, an aliquid audissent de regula? responderunt: nunquam, sed unusquisque nostrum aut monialem aut conversam, aut aliam mulierem sibi assumpsit, cum qua sine copulatione matrimonii dormivit. Episcopus ergo Trajectensis hoc audiens, de consilio *jurisperitorum*, & ipse *jurisperitus*, judicavit & sententiavit, eos omnes tales non esse religiosos, sed licitè posse exire & ducere uxores, & esse seculares; habitum illum exuere, & vestes seculares reinduere; quod etiam continuo fecerunt, & nullum jus in monasterio & bonis monasterii se habere protestati sunt. Pauci tamen duo vel tres ibidem permanserunt, secum ad tempus retinentes moniales seu concubinas suas, quæ eis condecumbentibus subservirent, donec omnes ejectæ in monasterium monialium ibidem de prope ordinis nostri pariter conjunctæ fuerunt. Post hæc missum est in Windesen, ut idem monasterium ad debitam reformationem perducerent. Prior ergo de Windesen misit illuc fratres de *Windesen* & *Monte S. Agneis*, *Jacobum Oem*, *Gerardum Wesep*, *Johannem Lop*, & *Engelbertum Tennuer* cum uno con-

converso, in temporalibus multum experto, qui primò reformationem ibidem inceperunt cum *Johanne Gerbardi*, quem Rectorem ibidem præfecerunt. Et quia sufficientes fratres pro ejus reformatione nova & fundatione non habuerunt, Prior de Windesem misit fratrem *Godefridum de Teyla*, & me *Johannem Busch* ad præfatum monasterium pro ejus complenda ad plenum reformatione: qui dixit mihi; Fr. *Johannes*, non multum profecistis ultra *Coloniam in Bodingen*; videatis, an Frisones possitis convertere. Anno igitur M CCCC XXIX conversionis S. Pauli missus fui in *Ludinkerka*, ubi inceptam reformationem continuavimus, chorum, refectorium, dormitorium & alia ædificia monasterii reparantes, & clericos pro nova reformatione ejus assumentes, & eos regulariter ac religiose instituentes: similiter & laicos & familiares. Igitur cum propter obedientiam sedis Apostolicæ, cum Papa bannum suum super Diœcesin. *Trajectensem* fulminasset, & ille *de Defolt*, quem civitates defendebant, & ille *de Culenborch*, cui Papa Episcopatum illum contulerat, de Episcopatu contendereat, omnes religiosi de terra *Transyselana* exire compulsi sunt. Prior ergo de Monte S. Agnetis ordinis nostri, de consilio Prioris de Windesem, cum toto conventu suo pervenerunt in *Ludinkerka*, cum laicis & familiaribus, & monasterium ibidem perfectè reformarunt juxta omnem modum & formam ordinis nostri; ubi jam plusquam quinquaginta sunt personæ tam fratres quam laici, domino Deo in sanctitate cordis sui die ac nocte fideliter servientes: de pascuis & pratis pro animalibus uberrimis se nutrientes, ubi nomen *Abbatis* in nomen *Prioris* propter capituli nostri de Windesem incorporationem transmutatum est. Misericordias igitur Domini in æternum cantabo, qui me participem fecit omnium bonorum usque in ævum ibidem perficiendorum. Nam & penurias ibi in utensilibus & rebus necessariis multas pro primo sustinimus. Et quia arbores paucæ sunt ibidem in terra, ventus in hyeme undique nos circumflavit & frigus ibidem involuit, ita ut post horas in lecto sederem ad calefaciendum me. Et quia aquæ ibidem in fossis & rivis præterfluentibus salum habent saporem propter adjacens mare, quod ibidem quandoq; intrare consuevit, ideo naturæ meæ multum fuit potus inconveniens. In omnibus enim monasteriis reformandis, sive de novo infraendis oportet, ut fratres ibidem primitivi magnam secum afferant patientiam, alioquin sine verbis murmurationis & tædii ibidem habitare non possunt, & ita murmurantes & se ipsos querentes, non quæ Jesu Christi; turpiter inde sine fructu recedent.

QVINTVM CAPITVLVM.

*De prima fundatione monasterii B. MARIAE in SION partium
Hollandiæ in ordinem canonicorum regularium.*

Monasterium *B. Mariæ in Sion in Beverwick* in Hollandia in uvido fundo hæreditatis Domini *Gerardi Presbyteri*, ibidem anno Domini M CCCC XXIX inchoatum fuit. Nam tunc *Laurentii Martyris* missus fui ibidem cum fratre *Godefrido de Teyla* de Windesem, qui mecum ibidem fuit investitus, & pariter fueramus in *Ludinkerka*. Prior enim de Windesem *Wilhelmus Vornken* & Prior de Monte *Ericus Clivis* visitantes locum in *Beverwick*, & inuenientes ibidem clericos & laicos, qui de domo domini *Rothgeri* & clericorum congregationis *Zvollenfis* exierant & locum illum obtinuerant, ad ordinem nostrum assumendum aspirantes, consensum eis dederunt, & miserunt ad nos in *Ludinkerka*, ut omnibus postpositis, mox visis eorum præsentibus literis, inde recederemus & in *Beverwick* adveniremus, & ordinem canonicorum regularium ibidem institueremus & fundaremus. Qui ut filii obedientes, voluntatem patrum nostrorum complevimus. Erat autem sexta feria mane, cum ad viam nos prepararem: & fuimus circa portam monasterii, ubi venit in mentem, quod esset dies capituli culparum. Unde mutuò dicebamus, nos hinc antequam exhibimus, prius deponere volumus, si quid in hoc loco deliquerimus, & sarcinis depositis, accessimus ad Capitulum, & culpis nostris dictis, disciplinam etiam accepimus, & sic mundata conscientia ad locum properavimus destinatum. Invenimus autem ibidem circa mare duas domos contiguas; de una facientes ecclesiam, de alia dormitorium: & in loco alio coquinam & refectorium. Investivimus ergo ibidem unum sacerdotem, Dominum *Hugonem de Dordrac*, duos de præfatis fratribus *Neydonem & Hinricum*. Reliquos, quos ibi invenimus, in donatos & familiares recepimus. Tres etiam de seculo clericos de bona progenie investivimus. Cantum ergo nostrum, habitum, statuta & ordinarium per omnia juxta morem capituli nostri & statuta assumpsimus, & horas in choro legimus. Missam & quædam alia in principio cantavimus juxta personarum facultatem. Miles quidam *Bertoldus de Assendelf* dictus se nobis adjunxit, non habens uxorem, privatim volens vivere & in quiete ab hominum tumultu Domino Deo servire. Hic domum lapideam magnam & bonam in eodem fundo circa aquas delicia nostra ædificavit. Circa domum illam totum monasterium propter ejus convenientiam nunc est constructum, quod jam per annos plus quam quadraginta in bona permanfit reformatione, propter generalis Capituli de Windesem incorporationem & annualem visitationem. Non est tutum & consultum, ut fratres, qui in domo religiosa, juxta modum suum bene-

reformata, ubi sanctam & Deo placentem conservant vitam & conversationem, habitant in bona pace & quiete, quod illam conturbantes in multo, merito se transferant in scandalum fratrum remanentium & etiam extraneorum; melioris vitæ prætextu discordiam in domo relinquentes. Etsi ad tempus prosperari videantur, malè tamen concludent, ut patuit in fratribus istis jam prædictis. Nam frater *Neydo* senior eorum, cum ad obedientiam Capituli nostri generalis se dedisset cum fratre *Hinrico* cognato suo, de *Harderwich*, & visitatores ex parte capituli aliquid contra eorum voluntatem ordinare vellent, ipsi resisterunt, & ad generale capitulum seu priorum superiorem appellaverunt. Ad hoc tandem devenerunt, ut frater *Neydo* ab ordine, quem nuper assumpserat, ordinis Canonicorum regularium, ad ordinem Johannitarum S. Johannis in Frisiam se transferret, in seculari ecclesia factus plebanus in quadam villa: & incidit in alia mala, ut audivi, quæ non sunt dicenda per singula. Frater vero *Henricus* mala morte vitam finivit, quod se ipsum occidit. Ipsi capitanei fuerunt egressionis eorum à consortio fratrum bonorum congregationum Daventrensiū & Zwolleniū, clericorum devotorum. Nos autem pater *Godfridus de Teyla* & ego primi eorum fuimus institutores, & quinque primos fratres ad ordinem ibi suscepimus. Per omnia benedictus Deus, qui locum illum in personis & rebus competenter multiplicavit in omnibus bonis. Misericordias ergo Domini in æternum cantabo, qui me in hoc ipsum ab initio mundi prælegit, ut cooperatores ejus essem in bonum.

SEXTVM CAPITVLVM.

*De reformatione monasterii S. MAYNOLPHI in BODIKEN, &
de multis monasteriis & personis, per ipsum
reformatis.*

Monasterium in Bodike ordinis Canonicorum regularium, *Paderbornensis* diœcesis à prima fundatione moniales possederunt sub sancto patre Meynolpho, qui ordinis nostri fuisse prædicatur canonizatus, & ipsius primus fundator. Dominus autem *Johannes Wael* vir proceræ staturæ, fatis eloquens & persuasivus, Prior Zwollenis in Bethlehem ordinis nostri, dictum monasterium ab Episcopo Paderbornensi & suo Capitulo suscepit reformandum, & quod pauca ibi erant moniales, in spiritualibus & temporalibus ubique deficientes, ipsum in monasterium canonicorum regularium erigi procuravit, & fratres monasterii Zwollenses in illud induxit, Priores eis unum post alium præficiens, *Danielem* videlicet & *Johannem Danielem* fratres uterinos, qui uno die de una matre nati, uno die in ordine vestiti & professi, uno die primas missas suas celebraverunt; per omnia in facie similes, ut vix alter ab altero discerni potuisset, cognati mei secundum carnem. Postquam autem Præpositus Nussiensis cum omnibus prioribus sibi capitulariter unitis ad capitulum de Windesem se dedit, & illi capitulariter se incorporavit, monasterium in *Bodeke* præfatum, quod erat unum ex illis, etiam se capitulo generali de Windesem colligavit. Unde factum est, ut mortuo aut resignante dicti monasterii Priore magnus ille pater *Arnoldus Huls* in Northorn professus, qui ante in *Ezingen* [f. *Efens*.] partium Frisiam Prior fuerat, similiter in *Bodingen* ultra Coloniam, ordinis nostri ibidem eligeretur in Priorem; qui dictum monasterium per omnia conforme fecit capitulo de Windesem in cantu, habitu, statutis, ordinario & ceremonialibus. Quo facto dilatavit terminos capituli nostri generalis ad loca diversa; similiter & successor suus fecit, qui fuit pater *Arnoldus de Holte*. Hi enim duo antiqua plura ordinis nostri monasteria in *Westphalia*, *Frisia* & etiam circa *Rhenum usque Basileam* reformaverunt, seu de novo construxerunt, & eidem venerabili capitulo nostro generali incorporari ea procuraverunt. Prior de *Richenberg* *Johannes Cloückorn* & ego *Johannes* in *Sulda* Prior, ultra sex annos visitatores eorum existentes, invenimus ibi præsentis fratres, Priorem, XXVI. conventuales, conversos & laicos sive familiares præsentis centum septuaginta tres. Et habent nunc foras in aliis monasteriis ordinis nostri fratres quinquaginta sex, quorum alii sunt priores, alii rectores, alii conreformatores & socii reformationis, & laicos plures, pro protectu reformationis multum utiles. Omnia etiam officia mechanica in suo habent monasterio, videlicet sartores, sutores, fabros ferrarios, carpentarios, agricultores, mulsores, pistores, braxatores, opiliones, subulcos, rafores, minutores & cetera similia officia eis necessaria. Ecclesiam etiam, dormitorium, refectorium bonum, cellarium optimum, coquinam & pro singulis officiis singulas domus. Monasterium situm est in convalle inter duos montes altos; & in circuitu suo agros habet & ligneta, & ad pene miliare à se bonam grangiam cum domibus necessariis bene constructam, & agros & prata multa per miliare plus quam dimidium. Monasterium istud perfectam recepit reformationem de *Northorn*, Northornensis de *Wyndesem* per Priorem *Hinricum Loeder* in *Wyndesem* conventualem, & multos laicos habent, non tam propter labores, sed multò magis propter Deum & regnum cælorum, quod ibi in terra per veram obedientiam, puram paupertatem & castam continentiam sine dubitatione possunt promereri. Hæc subjecta monasteria per priores & fratres de *Bodike* præfatos novimus reformatos, videlicet *Molenbeke* Myndensis diœcesis, *Hirsenhagen* Moguntinensis diœcesis, *Furstengardem* Wormatiensis diœcesis, *Hegenen* Wormatiensis diœcesis. In insula, Treverensis diœ.

diocesis; *Ewich* Colon. dioc. *Dalem* Pabebergenfis dioc. *Trutenbusen* Argentinensis dioc. *Everselufen* Treverenf. dioc. *Basilea S. Leonardi* Basilenfis dioc. *Marsbach* Basil. dioc. *Artogasti* Argentinensis dioc. *Reptorp* Eystetenfis dioc. *Birlingbe* Herbipolenfis dioc. *Frankemdale* Wormacenfis dioc. *Heidenfelt* Herbipolenfis dioc. *Zwalenbeim* Maguntin. dioc. *Revenberch* Maguntin. dioc. *Volckrinckbusen* Paderbornenfis dioc. *Blomenberch* Paderburnenfis dioc. *Meyen* Treverenfis dioc. eorum simul computata XX monasteria. Ecce quantus fructus animarum de monasteriis bene reformatis in campis constitutis. Videmus, quomodo patres & Priores talium monasteriorum Zelum Dei habent pro multis animabus Deo lucrands. Nam qualis Princeps, talis & servus ejus. Qualis pater, tales & filii seu fratres ejus. Quum Prælatus Zelum Dei pro reformat sancta habere cognoscitur, tunc plures secum semper habet fratres, qui in hoc non modice congaudent & libenter ipsi in hoc ipsum cooperari festinant. Quando autem Prælatus amore Dei & sanctæ reformationis accensus non est, sed etiam rogatus ad id, reniti conatur, tunc etiam ad hoc ipsum adhærentes habet, qui secum commoda propria quærentes, curam nullam habent de animabus Christi imagine insignitis ejusque sanguine redemptis; Christi Domini Dei nostri exemplum non imitantes. De cælo in terram pro animarum salute descendit, nobis in exemplum.

SEPTIMUM CAPITVLVM.

*De Reformatione Monasterii S. Dionysii in MOLENBEKE,
& de monasteriis per ipsum reformatis.*

Monasterium in *Molenbeke* ordinis canonicorum Regularium, *Myndensis* diocesis, prius fuit magnarum Dominarum, *Dom Vrouwen*, in quo unam duntaxat dominam invenimus, & quatuor sacerdotes præbendarios. Prior ergo de *Bodeke* prior *Arnoldus Huls* dictum monasterium ad reformandum juxta regulam & statuta nostra assumpsit, fratres suos canonicos regulares de *Bodike* in illud inducens. Rogavit autem me, quod secum veni de capitulo generali, ut viderem, an locus valeret pro ordine nostro ibidem institendo. Cumque placuisset locus, licet ædificia ruinam minarentur, & ecclesia eorum longa & lata quasi stabulum vaccarum erat & eqvorum: oportebat eum habere voluntatem Episcopi *Myndensis* & *Archidiaconi* loci; quos cum certa summa pecuniarum contentavit. Dominam illam misit in congregationem fororum, & foror facta est in *Lippia*. Præbendariis etiam singulis suam de præbendis illis dedit portionem, aut annuos redditus per vitam eorum sublevandos. Cum ergo monasterium illud alienis evacuissimus personis, fratribus suis & laicis ibidem existentibus singula commisit officia; vestimenta etiam & lectisternia tam fratribus, quam laicis providit. Currus verò & aratrum cum equis ad id necessariis, oves & boves seu vacas similiter eis deputavit, ut haberent, unde se nutrent. Nam agros pro frumentis seminandis & prata pro pecoribus nutriendis habent in abundantia; similiter ligneta, quasi ad unum miliare. Terra enim illa monasterii propria per circuitum cultoribus tantum indigebat; Pater autem præfatus præfecit eis procuratorem suum, fratrem *Arnoldum de Holte* in Priorem, qui post eum electus fuit Prior in *Bodike*, & venerabili capitulo nostro incorporari procuravit. Pater ergo in *Molenbeke* præfatus & *Johannes* post eum, & *Hermannus Stralen* modernus ibidem Prior, eis dictum monasterium valde in spiritualibus & temporalibus rebus promoverunt, quemadmodum prior de *Richenberge* *Johannes Clavenkorn* & ego in *Sulta* Prior, visitatores eorum oculata fide perspeximus. Habent enim sufficientes competenter personas chorales pro conventualibus, conversos & laicos numero centum & ultra; qui omnes claustralem suam disciplinam, singuli in suo genere satis strictè conservant; à quibus de foris omnes venientes bonæ conversationis & ædificationis capere possunt imitationis exemplum. Et quod multos habent agros, multos habent laicos colentes eos: Omnia habent officia in monasterio necessaria, sicut in *Bodike*, quæ superius enarravimus. Habent etiam molendina frumentorum, & quæ ligna & asseres per se, sine manibus hominum, per currentes aquas & ferras secare solent; & vivaria magna & parva, satis bona, unde centum florenos annuatim comparare solent de piscibus, præter pisces sibi ad victum necessarios. Similiter & de pecoribus sibi necessaria reserant: cætera, ut caseos & similia vendunt. Prior modernus *Hermannus Stralen* de consilio conventus sui monasterium monialium in *Volckerinckbusen* in diocesi *Paderburnensi* & Comitatu *Waldegge* assumpsit, in ordinem canonicorum regularium, per consensum Episcopi *Paderbornensis*, Comitatis & monialium antiquarum illius monasterii, transferendum; quod per nos visitatores ejus generali capitulo nostro fuit incorporatum. Similiter in oppido *Blomenberg* *Paderburnensis* dioc. & domicelli de *Lippia*, temporalis dominio novum monasterium ordinis ex oblationibus fidelium cæpit ædificare, certos ibidem fratres conventus sui de consensu Episcopi & domicelli præfati, fratris carnalis Episcopi, pro ejus bona fundatione in principio constituens. Bona igitur dicti monasterii (*Bodike*) reformatio in spiritualibus & temporalibus; ejus continua crescentia, longe lateque per totam patriam istam resperâ, solemne sibi nomen fecit, multam in salutem,

De reformatione monasterii in DALEM, ordinis
nostri.

Monasterium in *Dalem*, ordinis canonicorum regularium prius fuit monialium, monasterio in *Bodike* incorporatum. Quidam autem fratres in *Bodike* conscientiam inde habuerunt, quod bona ipsius monasterii sibi appropriassent, de quibus integrè vivere & sustentari poterat monasterium. Placuit tandem omnibus, quod iuxta primariam sui institutionem unum singulare ibidem monasterium ordinis nostri constituerent, & presbyteros & fratres laicos, ad hoc libenti animo concedentes, quorum aliqui ibidem fecerint professionem; ad unum miliare distans à *Bodike*, satis habundans in agris, pratis silvis, lignetis & lapidibus, inter septa monasterii, in montibus sub terra satis altè contactis. Parvam habuerunt ecclesiam, monialibus olim deservientem, cum parvis domibus sibi conjacentibus, & plurimos inter montes cum suo dormitorio constructam, straminibus contactam. Prior vero modernus, frater *Johannes Soubeke*, in *Bodike* ante professus, novam construxit in cacumine montis inter septa ecclesiam, de sectis lapidibus & bene conquadatis, ex eodem monte excisis, habentem in longitudine centum octaginta pedes, in latitudinem triginta quinque; dictum monasterium in monte cum dormitorio fratrum, refectorio & cæteris similibus illic volens transferre: laicis in suis officiis inferius in convalle monasterium volens permanere. Cum Deus primò queritur & claustralis disciplina, non solum in fratribus conventualibus sed etiam in laicis, quibus de quindena in quindenam semper capitulum servatur culparum, & de quindena in quindenam laici confitentur: tunc sequitur necessariò in tali monasterio regularis observantia & claustralis disciplina. Cum autem culparum capitulum tam in fratribus, quam in laicis non bene servatur, tunc ibi perit vera reformatio & sancta religio.

NONVM CAPITVLVM.

De reformatione monasterii VVOLCKERINCHUSEN
ordinis nostri.

Monasterium in *Volckerinchusen* ordinis nostri *Padebergensis* diocesis, in comitatu *Waldegge*, ante fuit monasterium monialium, sed per Priorem de *Molenbeke Hermannum Stralen* reformatum & translatum in ordinem canonicorum regularium, de licentia Episcopi & Comitum præfatorum, à quibus pro reformationis ejus stabilitate perpetua suscepit privilegia sigillis eorum bene sigillata. Prior ergo præfatus misit illic quatuor fratres conventuales, & cæteros laicos; pro nova ejus institutione cuncta sibi necessaria, ad victum & vestitum, in rebus utensilibus, pro scribendis libris, pro colendis agris, boves, vaccas, capras, equos, scrophas, porcos, currus, carrucam, aratrum, & alia multa similia ipsis concessit, misit & tribuit. Prior de *Richenberg Johannes Clauenkorn* & ego in *Sulta* Prior, à venerabili nostro generali capitulo illuc missi ad videndum de loci congruentia, an aptus esset ad incorporandum capitulo: cum omnia debite perspeximus, & locum pro multis animabus aptum lucrands consideravimus, ad generale capitulum in *Windesem* id retulimus; à quo in mandato suscepimus idem capitulum incorporandum, & fratres de *Molenbeke* ad obedientiam super eundem locum suscipiendos, & cætera sibi necessaria perficiendum. Accessimus ergo cum Priore de *Molenbeke* ad dictum monasterium, & de ejus licentia in nostra præsentia fratres illi quatuor, per eundem priorem ibi missi, obedientiam manualement coram summo altari, alteri nostrum visitatorum super locum illum fecerant. Quo facto dedimus eis licentiam pro monasterio illo tunc suo eligendi Priorem, adjungentes eis auctoritate capituli generalis Priores de *Molenbeke* & *Dalem*, ex quo ad id capitulum generale primi prioris pertinuit electio. Qui unanimiter omnes una voce elegerunt fratrem *Lambertum de Buren*, in *Molenbeke* ante professum; qui ante incorporationem ibi Rector fuerat constitutus. Quem proclamationibus, tribus distinctis terminis factis, nemine contradicente auctoritate capituli generalis confirmavimus, & in stallum suum introduximus, cui & fratres tunc ibi professi obedientiam præstiterunt manualement. Priore ergo & fratribus in loco illo professis præhabitis, monasterium ipsum venerabili capitulo nostro generali incorporavimus, diemque illum in lætitia totum peregrimus, de loci gaudentes stabilitate & debito fundamento sanctæ religionis, de regulari observantia ibidem perpetuanda, & de multorum salute ibidem, sicut in aliis monasteriis ruralibus, perficienda. Venerabilis autem Prior de *Molenbeke* cum suo devoto conventu plurima ibi in principio reformationis ejus miserunt, quæ & perpetuo ibidem remanere in præsentia Patrum de *Richenberg* & *Sulta* promiserunt, præter libros ibidem missos: Ut etiam caritatem fraternam cum eis inviolatam conservarent, & suos primarios reformatores fuisse cognoscerent. Plurimum ergo nos visitatores in eis fuimus ædificati, quod propter Deum & sanctam reformationem, ultra vires pene suas, tanta bona & utensilia gratis dederunt monasterio.

De Reformatione monasterii in SEGEBERGE ordinis nostri regularis, dioec. Lubicensis.

Monasterium in *Segeberge* ordinis Canonicorum regularium dioec. Lubicensis in *Holfatia* situm, satis est antiquum, ecclesiam habens parochialem, cum archidiaconatu quatuor miliarium annexo: imo & ipsum monasterium est ecclesia parochialis oppidi *Zegebergenfis*, quæ per unum de fratribus, qui plebanus eorum dicitur, regi solet, cum capellano fratre sibi adjuncto. Dux autem *Holfatiz* in alto castro super oppidum habitans cum omni familia, sua sexus utriusque, & omnes cives ejusdem oppidi, solent ibi audire divina; & sumere ecclesiæ sacramenta, & intra divina festis diebus audire sermones. Conventus vero tunc propter temporis brevitatem & sermonum prolixitatem, tertiam de tempore & de Beata virgine non cantare sed legere solent in sacristia, ita ut statim post sermonem aspergens conventum cantetur, & populus aspergatur. Si non fuerit dies dominicalis, tunc statim, sermone finito, summa missa incipitur & decantatur. Monasterium præfatum ultra triginta annos fuit in reformatione, notabiles valde habens Priores capituli nostri generalis, & fratres, primos ejus reformatores. Primò fratrem *Hermannum de Ludinkerka* partium *Frisiæ*, sub quo nomen Præpositi in nomen Prioris fuit commutatum; qui bene conversare scivit cum hominibus, & certas parabolas & ænigmata jucundè satis enarrare. Unde quàm plures traxit ad suam amicitiam, quod bonus & prudens satis erat; fratres suos per multos annos in bona conservans ordinis disciplina. Sed quia subversores & mendaces secum habuit fratres antiquos, qui Duci & familiæ suæ, ad monasterium sæpe venientibus, cum intrarent, ecclesiam, falsa & mendosa de ipso loquebantur: quod per Episcopum Lubicensem examinans, invenit falsum esse & mentitum. Prior ergo id cognoscens, invitis quam plurimis prioratum resignavit. Qui post factus est confessor monialium in *Campis in Bronopia*, ac de novo Prior electus in suo monasterio *Ludinkerka*, ubi & diem clausit extremum in bona pace & regimine. Post eum habuerunt in Priorem fratrem *Johannem Ludinhusen* in *Northorn* conventualem, qui secum adduxit *Johannem Clauenkorn de Northorn* in procuratorem ibidem. Prior iste vir fuit multum notabilis, disertus in sermonibus divinis, bonus sermocinator. Certas & veras sæpius habuit vigilantes visiones & revelationes, quando celebravit & quando oravit, his, qui orationes ab eo petierunt, futura prædicens in absentia, quæ eis evenire deberent, à quibus personis; facies, staturas, dispositiones eorum describens. Prior in *Wittenborch Rotbgerus*, ejus tunc visitator, rogavit eum, ut in missa pro eo intercederet in rebus sibi occurrentis: cui in memoria vivorum visio apparuit, quæ tota postmodum ita fuit completa. Missa finita dixit sibi, feci, quod desiderastis. Vos competenter bene scite cum domino Deo. Vidi vos consistentem operto capite cappâ & inclinato, & unum armatum contra vos stantem, qui manibus ac dentibus sic in vos infremuit, ac si vos vorare vellet, qui duos de fratribus vestris assistentes habuit; & totus conventus consentiendo circumfedit. Hoc audiens *Rotbgerus* dixit: ille armatus fuit diabolus, qui propter reformationem monialium contra me inflammatus est. Cui respondit, non fuit diabolus sed homo, non fuit pinguis, sed acutam & tenuem habens faciem. Quum *Rotbgerus* interim miraretur, quis esset, respondit: procurator vester est, & si jam in conventu vestro essem, ego vobis ipsum demonstrarem: qui tunc fuit frater conventus illius, quem ipse nunquam viderat. Respondit *Rotbgerus*, nos in bona pace stamus, non potest esse sic; sed alius quidam, nominando *Johannem illum*. Respondit, procurator vester est, & si jam in conventu vestro essem, vobis ipsum demonstrarem; ita ipsum in visione novi, & miratus fuit, quod hæc corporaliter sic vidit. Cum ipse domum redisset, visitatoribus advenientibus, hæc vera sunt ostensa. Nam ipse & duo alii conventum in suam traxerunt conspirationem, & totis viribus contra ipsum se animantes, ipsum deponere nitentur ab officio; sed non potuerunt. Sic ille veniam petivit & de cætero fidem dedit & promisit. Hæc idcirco scripsi, ut tanti patris fidem & devotionem apud Deum considerare valeatis, & quod nullus est super terram, quin specialem habeat à Deo gratiam: sic nullus est, quin aliquem habeat in se defectum. Ita Prior iste aliquando in suo sensu habundavit: ecclesiam & monasterium in *Zegeberge* in alium volens locum archidiaconatus transferre; cui fratres contradixerunt. Quum igitur ad capitulum generale perrexisset, miserunt conversum cum literis post eum ad capitulum, absolutionem ejus ab officio postulantes, quod & factum est. Fratres autem unanimiter omnes in *Zegeberge* conventuales, in electionem alterius Prioris compromiserunt in Priorem de *Windesem* & suum conventum, ut secundum Deum & conscientias suas eligerent eis Priorem, vita sua & ætate idoneum, secundum formam statutorum nostrorum. Prior ergo & conventus in *Windesem* concorditer, nullo dissentiente, elegerunt ibidem in Priorem fratrem *Johannem Busch*, qui tunc habitavit in *Bronopia* apud moniales ad duo miliaria de *Windesem*, in *Windesem* conventualem; decretum electionis sibi transmittentes, & ejus desuper consensum requirentes. Qui considerans, Dominum Ducem ibidem velle regere monasterium

ad instinctum fratrum antiquorum, sicut sub duobus istis patribus fecerat, noluit consentire, nisi Dux sibi monasterium ex toto regendum committeret. Ipse voluit secum de Windesem assumere Suppriorem: si alicui aliquid in suo regimine displiceret, hoc sibi aut Suppiori suo ut diceret & revelaret, & si non sequeretur emendatio, quæ vere erant emendanda, tunc dicerent, cui vellent. Si Duci aut suis primo dicere vellent, antequam sibi vel suo Suppiori, ut soliti erant, tunc nollet eorum esse Prior. Miserunt ergo ad conventum illum, qui non respondit, nisi per ambages, quod putabant, non deservire pro Duce & Lubicensibus, cum quibus habebat ante actiones & impetitiones. Tantum intellexit, quod ei in suam propositionem consentire volebant. Similem expertus fuerat cum *Friderico* Magdeburgensi Archiepiscopo: ideo noluit in similem coartationem prælaturæ suæ introduci; & quia ante tricesimum diem cognitionis electionis suæ oportebat eum consentire, aliàs cassa fuisset electio: id circo conditionaliter consentit, videlicet si responsum eorum sibi placeret. Quo habito Prior de Windesem posuit in ejus arbitrio, si vellet consentire, vel non. Tunc capitulum respondit coram conventu suo, ego N. electus & confirmatus in Priorem monasterii in *Zegeberge* resigno officium Prioratus ibidem in manus conventus ejus, & ita Prior de *Windesem* consentit in meam resignationem. Commisit tamen fratribus ibi præsentibus, & promiserunt ita servaturos, quod pro eo deberent & vellent exequias ejus facere post mortem ejus, ac si decem annis ibi Prior fuisset: similiter promisit & conventus. Postquam in *Sulta prope Hildensem* electus fuit in Priorem, ordinatus est per venerabile capitulum nostrum generale ibidem cum *Joanne Clovekorn* Priore in *Richenberg* visitator dicti monasterii ad aliquot annos; ubi tunc Priorem habuerunt de *Bodiken* fratrem *Joannem Valberch*, à quo tunc libenter fuissent exonerati. Rogaverunt autem me una cum Priore de *Richenberge* convisitatore meo, quatenus adhuc eorum Prior esse debuissim; quibus post multas preces respondi: si à conventu meo de *Sulta* id impetrare potestis, tunc ego faciam sub ista conditione. Si id facere non potestis, & ego à conventu in *Richenberge* impetrare potuero, ut conventus ille consentiat, quatenus Prior in *Richenberge* hic prior sit: in hoc velitis consentire. Tunc dabo vobis consensum, & sum Prior in *Zegeberge*, quia mihi idem est, ubicunque aliquid boni facere potuero ad honorem Dei & animarum salutem. Negabant illi dare consensum, & ita uterque mansit, ubi fuit. Anno sequenti, quum eos visitarem, Priorem suum *Joannem Walberch* retinere voluerunt, & tamen in tertio anno absolutus est. Deinde Priores habuerunt de propriis fratribus ad tempus. Modo habent in Priorem fratrem *Albertum Bocoldie* in *Windesem* conventualem, & est satis dives monasterium.

* * *

Sacrofancta generalis *Synodus Basiliensis* in Spiritu Sancto legitime congregata, universalem Ecclesiam repræsentans, dilectis ecclesiæ filiis de *Windesem* & in *Wittenborch*, Prioribus monasteriorum, salutem & omnipotentis benedictionem. Quum inter alia sanctitatis opera propter quæ hoc sacrum concilium in Spiritu Sancto est congregatum, sit sanctæ reformationis prosecutio: ideo omnem diligentiam merito adhibere debemus, ut tam sanctum opus, Ecclesiæ Dei plurimum necessarium, debitæ executioni demandetur. Et quoniam sacer ordo *Sancti Augustini* almi Confessoris canonicorum regularium, Christianæ religionis maximum & honorabile membrum existit, & quod dolenter referimus, in plerisque mundi partibus non mediocriter à primæva sui institutione collapsus sit: nostro officio incumbit omnem operam apponere, ut ipse sacer ordo ad regularem observantiam & debitum vivendi modum, secundum ipsius ordinis institutionem, conservetur pariter & reducatur. Ne autem hoc negotium aliquo modo negligi, infringi, dissipari vel differri valeat, & ut eo meliorem fortietur effectum, quo majori fuerit auctoritate munitum: vobis & cuilibet vestrum in solidum, quorum prudentiam, integritatem & zelum domus Dei, fide dignorum testimonio ac reali experientia didicimus, una cum aliis, quos duxeritis ad hoc opus idoneos assumendos ac zelum Dei habentes, eadem auctoritate, tenore præsentium committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, quatenus per vos, aut quemlibet vestrum in solidum, onere visitatorum, inquisitorum & reformatorum, quomodolibet necessariis; etiam, si nec esse fuerit, per censuram ecclesiasticam; compellatis personaliter utriusque sexus monasteria ordinis prædicti, in Ducatu Brunsvicensi ac Hildesemensi, Halberstadiensis, Verdensis diocæsi consistentia; totiens quotiens opus fuerit, accedentes cum omni diligentia ipsa monasteria Ducatus & Diocesium prædictarum & tam in capite quam in singulis membris, primum inquisitionem, deinde plenam reformationem facientes summarè & de plano, sine strepitu & figura judicii, sola facti veritate inspecta. Peccata & crimina, si quæ fuerint inventa, corrigite, etiam usque ad suspensionem, privationem & incarcerationem, inclusivè tam Abbatis, Præpositi, Prioris, Abbatissæ vel Priorissæ vel Præpositissæ, quam cujuscunque alterius personæ religiosæ prædictorum monasteriorum, si & in quantum eorum demerita deposcant; & quicquid vobis vel cuilibet vestrum in solidum visum fuerit faciendum, plenè reformetur, inutilia & damnosa penitus evellendo & penitus dissipando, utilia verò & necessaria plantando & ædificando, Abbates, Præ-

Præpositi aut Priores, Abbatissæ, Præpositissæ vel Priorissæ, & quæcunque persona regularis prædictorum monasteriorum hujusmodi vestrae visitationi, inquisitioni & reformationi, ut præmittitur, se submittere renuentes, vel vos ad monasteria eorum intrare non permittentes, excommunicationis sententiam incurrant ipso facto. Nec non & loca eorum interdicto supponimus ecclesiastico, sublato in omnibus præmissis cujuscunque appellationis subterfugio; invocando etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilium brachii secularis. Pro quo invocando omnibus Christi fidelibus, qui per vos, aut quemlibet vestrum in solidum, fuerint requisiti, in virtute sanctæ obedientiæ, & suorum peccaminum remissionem, injungimus; quod si & in quantum ad hujusmodi tam sanum opus fuerint invocati, omni excusatione semota, vobis & cuilibet vestrum in solidum obediant, & usque ad finem actus diligenter & cum effectu assistant. Et ne prædictum opus visitationis, inquisitionis & reformationis per absentiam cujuscunque personæ regularis quomodolibet impediatur: vobis & cuilibet vestrum in solidum plenam auctoritatem citandi eosdem, etiam, si necesse fuerit, per edictum; & quod, non obstante eorum contumacia, in negotio hujusmodi reformationis [procedere] valeatis usque ad suspensionem & privationem eorundem inclusive. In electione autem seu postulatione futuri Abbatis, Præpositi & Prioris, Abbatissæ vel Præpositissæ vel Priorissæ prædictorum monasteriorum, si contingat fieri, nec non in eorum confirmatione, decreta hujus sacri concilii Basiliensis volumus & præcipimus in omnibus strictè observari. Et si canonici vel moniales eorundem monasteriorum in Abbatem, Præpositum vel Priorem, Præpositissam vel Priorissam inhabilem vel minus idoneam, quod ablit, elegerint vel postulaverint (quod vestro judicio decernendum committimus, & cuilibet vestrum in solidum) ex tunc novi Abbatis, Præpositi vel Prioris, Abbatissæ, Præpositissæ vel Priorissæ electio seu postulatio ad vos devolvatur ipso facto. Concedimus etiam vobis & vestris Commissariis, per vos deputatis seu deputandis, & cuilibet vestrum in solidum, auctoritatem plenariam, omnes ac singulas personas regulares utriusque sexus prædictorum monasteriorum, qui se sacræ observantiæ, per vos imponendæ, humiliter & cum effectu submittere voluerint, à cunctis criminibus & peccatis, quæ vobis confitebuntur, excommunicationibus, suspensionibus & interdictis, aliisque ecclesiasticis censuris & pœnis absolvendi; nec non cum eisdem dispensandi super irregularitate in excommunicationis vel suspensionis divinis se immiscendo contracta, omnemque inhabilitatem & infamiæ maculam abolendi, non obstantibus in contrarium quibuscunque. Concedimus etiam vobis per prædicta & cuilibet vestrum in solidum, quod longitudines horarum in psalmis, gradualibus & pœnitentialibus, aliisque quæ horis superaddi consueverunt, postquam de illis & aliis gravaminibus informati fueritis, taliter abbreviabitis, etiam in monasteriis jam actu reformatis seu reformandis, quod easdem horas & alia eis incumbentia, cum debita gravitate & protractione possint bene & devotè adimplere: proviso tamen, quod hac abbreviatione possint gaudere, quàm diu in observatione cartæ, eis à vobis datæ, & aliarum ordinationum & mandatorum perseveraverint, ab eisdem notabiliter non labendo. Et ut hoc opus sanctum expeditum & felicem habeat progressum, nec cujuscunque ausus temeritate, vel subtilitate juris impediatur: omnes & singulas, tam ecclesiasticas quam seculares personas, cujuscunque status, dignitatis & conditionis existant; etiam si Pontificali aut Ducali præminencia fulgeant, in virtute sanctæ obedientiæ monendo exhortamur, & sub excommunicationis pœna districtè præcipiendo mandamus, quatenus in prædictis impedimentum nullum per se, vel per alium directè vel indirectè, quacunque occasione faciant vel procurent quomodolibet, vel per alios fieri permittant; quin imò omnes, qui ad assistendum per vos requisiti fuerint, [sub] simili censura in omnibus, prædictum negotium concernentibus, consiliis & auxiliis oportunit, vobis favcant & obediant. Impeditores autem & rebelles per jura ecclesiastica & aliis juris remediis compescatis, seu alter vestrum compescat. Et nihilominus, si visum vobis fuerit, moneatis, seu alter vestrum moneat, quatenus infra competentem terminum, per vos statuendum, personaliter in hoc sacro concilio hujusmodi impediens & rebelles compareant, ut tanti reatus dignam à nobis ultionem suscipiant: mandando ipsis, tam ecclesiasticis quam secularibus cujuscunque sint gradus & dignitatis sub pœna excommunicationis vel alia, de qua videbitur vobis, ut ab omni impedimento huic sanctæ reformationis operi inferendo omnino desistant. Insuper vobis & cuilibet vestrum præcipimus & mandamus, quatenus ad pœnitentiam B. Mariæ Magdalensæ opidi *Embecensis* Maguntinensis diœcesis, ac B. Mariæ Magdalensæ extra muros *Hyldensem*, ordinis S. Augustini monasteria accedentes, per vos aut per alterum vestrum, vel alium seu alios, in capite aut in singulis membris reformetis; & ut corrigatis ea, modo & forma superius descriptis, vobis prædicta auctoritate liberam concedimus facultatem. Datum Basileæ VIII. Kalendas Februarii Anno à nativitate Domini M. CCCC. XXXV.

Nota. Iftam bullam Venerabilis Pater *Rempertus* Prior in *Wittenborch* excopiarî & transfumi per officialem *Hildeshemensem Arnoldum Cleyne* procuravit, & figillo Episcopi *Magni Hildeshemensis* communiri anno 1435, die tertia Mensis Martii, *Eugenii* Papæ anno quarto,

[Alia

[Alia manus, sed non adeò diversa.]

Anno Domini 1437. in Junio, Pater *Rembertus* Prior in *Wittenborch* cum Abbate de *Bursfelde* *Johanne Munden*, & aliis personis ecclesiasticis & secularibus accessit monasterium prope *Goslare*, Montem S. Georgii, pro visitatione & Reformatione ipsius monasterii, secundum præmissam Bullam; & non admissi à præposito monasterii *Hermanno* & ceteris quinque vel sex paucis præsentibus, in eos pœnas & censuras hujus bullæ fulminabant, ceu declarabant incidisse. Prædictus verò Præpositus *Hermannus* cum suis per Syndicum & Procuratorem suum *Everbardum Hamelen* appellaverunt ad generale Basiliense concilium, aut ad Eugenium Papam quartum &c. paratos se dicentes visitari & reformari, si reformatione indigeant: sed non per personas ipsis suspectas; & dummodo jure & legitime cum eis ad hujusmodi procedatur.

[Alia & recentior manus.]

Anno Domini 1435. Dominica Exurge conspiraverunt Præpositi *Johannes Scheningensis*, *Johannes Hamerslebensis*, *Johannes Halberstadiensis*, *Hermannus Kaldenburnensis*, *Hermannus Jurgenbergensis*, *Johannes Sultensis* scilicet *Driborch*, defendere se privilegio Papæ Eugenii quarti contra *Windesemenses*, & contra ordinationes concilii Basiliensis de reformatione * * * *

Anno Domini 1482 *Ernestus* Episcopus Halberstadiensis volebat reformare juxta Hallensium ritum monasteria *Scheningen*, *Halberstad* & *Caldenborn*. Petit *Johannes Batendal* Præpositus *Scheningensis* bullam Eugenii, quam vocant auream, à monasterio *Jurgenberga* ad sui defensionem, contra habitum & statuta * * *

VNDECIMVM CAPITVLVM.

De reformatione Monasterii B. Mariæ Virginis
in VVYTTENBORCH.

Monasterium B. Mariæ in *Wittenborch* ordinis canonicorum regularium, *Hildensemenfis* diœcesis, primum fuit monasterium in Saxonia reformatum, in quo ante ducentos annos octo inclusi sine aliqua regula nec sorte inclusorum habitaverunt. Sed quum *Clementina* contra *Boghardos* & *Beginas* ubique fuerat promulgata, per illam timentes, se etiam turbari & expelli, de consilio Domini Decani in monte S. *Mauritii* *Hildensemenfis*, Viri docti & probati, habitum canonicorum regularium, tunc portari consuetum, assumpserunt, ita tamen, quod Prior eorum sub perpetua maneret clausura, propter primariam eorum institutionem. Postquam autem ad proprietatem & ad alias ejusdem ordinis transgressiones declinaverunt, quidam eorum corde compuncti, cum audissent in *Windensementi* capitulo generali bonam florere reformationem, & observantiam regularem bene vigere: miserunt ad generale capitulum in *Windensem* fratres suos reformari, & eis capitulariter se uniri postulantes. Commisum ibi fuit Priori de *Northorn* fratri *Henrico Loeder*, si dictum monasterium receptibile ad capitulum videretur, & omnes fratres in hoc consentirent, quod ipsum tunc capitulo generali incorporaret: quod & fecit. Præfecit ergo eis [anno 1423] Priorem fratrem *Rembertum* conventualem monasterii sui, adjungens ei duos vel tres fratres conventus sui. Habuerunt etiam duos fratres de *Windensem*, *Hinricum Harderwis* & *Gerbardum Goeb* in procuratorem, & laicum *Gerbardum* in cocum, qui etiam ibi mortuus & sepultus; qui fuit in *Windensem* magister coquinæ. Priore autem *Remberto* post XIV annos prioratum resignante, frater *Godfridus de Teyla*, in *Windensem* professus, electus ibi tunc fuit in Priorem, qui fratrem *Johannem Busch*, in *Windensem* secum professum, assumpsit in suum Supprieorem. Cum igitur ad generale capitulum nostrum se dedissent, visitatores eorum, per capitulum eis transmissi, de consilio Episcopi *Hildensemenfis* ordinarunt: quod non Prior sed Supprior ibidem perpetuò maneret inclusus, propter primariam eorum institutionem, & quod Prior plura monasterii sui negotia sapius haberet expedire, quæ per alium minimè poterunt expediri: sicut venire ad capitulum generale, & alia monasteria de mandato capituli visitare & plura similia. Et idcirco Frater *Johannes* præfatus non simpliciter fuit Supprior, sed locum ejus tenens, & omnia Supprioris officia in choro, refectorio, & claustro faciens & observans. Unustamen seniorum ipsorum nomen habuit Supprioris sine re, qui etiam nunquam exire consuevit, frater *Johannes Humborch*, qui ante reformationem Prior ibi fuerat. Post eum, cum in *Sultam* pro reformatione translatus fuerat, tunc electus ibidem in Supprieorem, officium per se exercebat, præter *Rotgerum*, qui etiam vices ejus habuit. Postquam præfati Priores, *Rembertus* & *Godfridus* singuli per XIV annos eidem monasterio præfuissent, & ipsum in bona disciplina conservassent, de propriis suis fratribus sibi Priores elegerunt, (præter *Johannem Göttingen*, qui penè IV. annis ibi Prior fuit) primò fratrem *Rotgerum de Erfordia*, qui post resignationem sui Prioratus in *Erfordia* factus est *Carthusiensis*. Demum fratrem *Johannem de Bilteldia*, qui usque hodie Prioratus officium satis strenuè ibidem gubernat. Cui in Prioratu, post resignationem ejus, per electionem successit frater noster *Bertoldus Eyke*, qui in *Sulta*
Sup-

Supprior per annos penè viginti extiterat, claustralem disciplinam in se & aliis plurimum promovens & affectans, bene religiosus & moderatus per omnia.

Ab isto monasterio *Wittenborch* reformatio incepit plurimorum monasteriorum diversorum ordinum & utriusque sexus per Saxoniam & Thuringiam. Pater enim *Rembertus* Prior ibidem impetravit à generali concilio *Basiliensi* tunc celebrato pro se, & Priore de *Windensm*; & suis successoribus auctoritatem visitandi & reformandi omnia monasteria canonicorum ordinis regularium utriusque sexus, & eas, per censuras ecclesiasticas, ad observantiam compellendi regularem. Quæ auctoritas pro ipsis, & per ipsos assumendis, juxta informationem Jurisperitorum usque hodie firma perseverat.

Hæc bulla commissionis data anno 1435 habetur supra.

*Nomina Priorum in Wittenborch tempore Reformationis
ab anno 22 vel 16.*

1. Pater *Rembertus ter List*, primus Prior, annis 14.
2. *Godfridus de Tulas (Teyla)* secundus annis 14.
3. *Roigberus Luneborch (de Ervordia)* tertius, & factus est *Cartusensis*, anno 1460.
4. *Johannes Dorman* 4. Existimo esse *Johannem Göttingensem*: qui prius fuit procurator in *Hammersleben* & in *Richenberg*. Præfuit ann. 4. obiit 1464, cadens de ædificio.
5. *Johannes Bilvelde* quintus, ejusdem domus professor.
6. *Bertboldus Eyke*, qui Supprior erat in *Zulta*, obiit 1477.
7. *Hinricus Sulbeke* ejusdem domus professor, obiit *Hallis*.
8. *Antonius de Molenbeke*, ubi Supprior fuit, electus in Priorem anno 14. [addit recentior manus:] electus Prior in *Molenbek* anno 1487. in locum *Hermannii Stralen*, qui resignaverat.
9. *Johannes Bulleren*, qui Supprior erat in *Hammersleve*, electus anno 1487. in *Wittenborch*. addit recentior manus. Interfuit reformationi S. Spiritus prope *Soltwedel* 1470. factus ibidem Subprior.
10. *Stephanus de Molenbek* Supprior, electus anno 1491, post resignationem patris *Johannis Bulleren*.

* * *

Hermannus Ryd de Rene annorum 19 intrat monasterium in *Wittenborch* anno Domini 1427. Anno 1447. mittitur *Hallis* ad novum opus reformandum. Ibi post annum professor, Prioratus tenuit officium. Missus inde anno Domini 1455. in *Italiam* ad Monasterium *Novicelle* prope *Brixinam* ob rogatum Cardinalis *Nicolai de Cusa*. Ibi per annum stetit, ordinando de observantia regulari. Anno Domini 1456 revocatus per Episcopum *Magdeburgensem*, suscepit parochiam S. Mariæ prope *Hallis* gubernandam. Ibi tamen post labores plures obiit in pace, anno Domini 1476. feria quarta cinerum.

* * *

Magister *Theodericus Engelbusen* donatus Presbyter monasterii in *Wittenborch* habitum suscepit [Dominica] *Judica* anno Domini 1434, & obiit eodem anno post *Godehardi*, sepultus in *Wittenborch*. Hic vir Saxonie lumen fuit. Epitaphium ejus:

Mortales cuncti, moveat vos tumba sepulti
Saxonis eximii vermibus expositi,
Anno milleno quadringenteno triceno
Et quarto Domini post festum mox *Godehardi*,
Qui quondam nomen *Tidericus* contulit omen,
Ex *Einbeck* natus, *Engelbus* cognominatus:
Qui clarus ingenio, moribus, ore, stylo.
Divinum cultum dilexit crescere multum
Scriptis magnificis, qui fuit atque pius.
Terra sed ossa tegat: animam, qui tartara fregit
Lucis perpetuæ collocet in requie.

[Hoc, puto, compilavit *Hermannus Ryd*, & sequens, quod subjungitur ibidem.]

Johannes gratus claustris Prior est tumultatus
Hic, qui præfatus, *Hofnaghel* & ipse vocatus.

Qq q

Hic

Hic Dominum cœli complectens mente fideli
 Respuit honorem, mundi labentis amorem:
 Namque resignavit Prioratum. Sicut amavit
 Christum: sic stravit carnem, seclī vanitatem,
 Sic fuit exemplo, lux in Christi bene templo
 Ut requies detur sibi, perpes quisque precetur:
 Sanctorum sortem teneat, sic ** mortem.

[Obiit anno quo nescio, fortè ante reformationem ultimus Prior. addit recentior manus: *Johannes Humborg.*]

DUODECIMVM CAPITVLVM.

De Reformatione monasterii B. Mariæ in RICHENBERGHE.

Monasterium in *Richenberghe* ordinis canonicorum regularium prope Goslarium, Hildensimenses diœcesis anno Domini MCCCC XXIX. per fratrem *Hinricum Lader* Priorem in *Northorn* auctoritate venerabilis capituli nostri generalis Windensensis fuit reformatum; ubi fratres suos primos posuerunt Priores et reformatores. In hoc monasterio ante reformationem vix septem fratres cum Præposito suo necessaria victus & vestitus habere poterant: jam ibi in reformatione fratres sunt & laici ultra LXXIII. in habundantia omnium necessariorum viventes de laboribus manuum suarum, & nutrimento animalium & pecorum suorum. Solempnem habent ecclesiam ducentorum & octo pedum in longitudine, & LXII. pedum in latitudine, cum absidibus in utroque latere, & crypta sub sanctuario. Habent etiam decem & octo altaria & domos sufficientes pro habitatione & laboribus laicorum & familiarium suorum. Est ergo monasterium bonum & solemne omnibus bonis, & bona reformatione in regulari observantia bene decoratum. Ante aliquot annos, quando primo ibi visitavi cum patre *Godefrido* Priore in *Wittenborch*, habebant octo vivaria: in medio tamen jejunii nondum aliquos recentes pisces comederant. Unde plurimum mirati, ordinavimus ibi fratres piscatores, unum de fratribus *Henricum Drnde*, alium de conversis *Allardum*, tertium de Laicis *Johannem Hasselt* sub Priore *Hinrico Cremer*. Patres & fratres de *Northorn* primo ibidem reformationem inceperunt, & per plures annos continuaverunt. Quum autem Patrem *Hinricum* Priorem præfatum in monte *Agnæ* ordinis nostri professum habuerunt, ille de monasterio suo tres laicos secum duxit, *Hinricum*, *Allardum* & *Hermannum*, quos & conversos fecit. Primum curiæ præfecit, secundum piscatorem fecit, tertium cellerarium ordinavit, & per eos omnes laicos in bona disciplina instituit & conservavit. Ex tunc enim omnia opera rusticana viriliter apprehendentes, magnum profectum in temporalibus & spiritualibus effecerunt, & numerum laicorum ultra quinquaginta compleverunt. Jam verò Priorem sibi iterum de *Vrendesvelp* prope *Northorn* elegerunt Patrem *Johannem Clovekoren*, de *Osnaburgis* oriundum, qui plus quam XIV annis officium strenuè gubernavit, & bona monasterii in temporalibus & spiritualibus, in ædificiis & redditibus, in bona regulari observantia & morum disciplina bene augmentavit. Hæc ita se habere inveni, cum eos cum Priore de *Wittenborch*, patre *Johanne de Göttinghen* visitavi.

Hæc Pater *Johannes Bûsk* in *Sulta*, qui per biennium fuit Sûpprior *Wittenborgensis*.

Quod sequitur. In *Richenberga* scriptum reperitur in ambitu: quidam tamen additi. [Hæc monachus *Hamerslebiensis* Libro *Buschii* adjecit:]

Anno Domini 1429. initiata est reformatio in *Richenberg*.

1. *Johannes Crevet de Gandersen*, de domo S. Meinolphi in *Budiken* electus in primum Priorem anno quarto Reformationis, Domini 1433. Postquam resignavit, Præpositus *Conradus Nichtbusen*. Hic (scilicet *Johannes*) investivit *Eberhardum Lochte*, postea nostrum Priorem in *Hamersleve*.
2. Anno Domini 1435. electus est *Hinricus Cremer de Zwollis* in Priorem secundum. [Rec. man.] Investivit *Johannem Dorman de Göttingen*, postea Priorem in *Wittenborch*, & *Arnoldum Gandersen* Priorem in *Sulta*.
3. Anno Domini 1445. *Johannes Havekenschede de Corveldia* electus est in Priorem. Iste pater, cum suis fratribus reformavit monasterium S. Pancratii in *Hamersleve*. Anno Domini 1452. die septem fratrum incepit, & anno sequenti 1453 *Eberhardum* in Priorem primum illuc direxit, postulatum & confirmatum ab Episcopo *Halberstadenfi*. Ad instantiam fratrum in *Hamersleve* missus est. [recens manus] Investivit *Bernhardum Vorling* Priorem nostrum, anno 1449.
4. Anno Domini 1456. *Johannes Clovekorn de Osnaburgis* electus est in Priorem, ex monasterio *Vrendesvel* dicto, de nemore S. Mariæ prope *Northorn*.
5. Anno Domini 1476. frater *Wulbrandus Sponbil*, in *Hamersleve* tunc procurator, electus est in Priorem in *Richenberghe*, cum videlicet resignasset Prioratum ibidem pater *Wulbrandus* ibi

- ibi per annum & aliquot menses. Investivit duos, *Henningum de Zalder & Henningum Pannensmet*, & facta resignatione, rediit ad domum suam Hamersleve.
6. Anno Domini 1478. frater *Henicus Horensen* de monasterio electus in Priorem post resignationem patris Wulbrandi, qui reversus ad monasterium suum, post decem annos obiit, 1488 in *Woltingerode*, ubi procuracione cruris erat ad medicum, & devecus in Richenberg, quod proprius erat, & jam meridies; ibi sepultus est honorifice in ecclesia ante Chorum versus meridianam plagam, dominica Oculi: Interfuit Reformationi S. Spiritus prope Soltwedel anno 1470.
7. Anno Domini 1498. obiit venerabilis pater *Henicus Horensen* Prior in die Crispi & Crispiniani. Dominica post omnium Sanctorum reelectus est in Priorem frater *Godefridus Koer de Scoping* tunc Prior in monte *Georgii*.

[Recentior manus.]

Monasterium in Richenbergha initium reformationis cepit 1429. à Domino *Conrado Mechtibusan* præposito: sed pro supplendo fuit eis post annum rogantibus directus frater *Hermannus Reyneman de Huxaria* de domo regularium prope Northorn. De manu ejus prædictus præpositus suscepit habitum reformationis cum quinque fratribus in festo Natalis Domini proximo, post matutinum in domo capituli. Postea cantarunt, *Lux surgebat*. Anno 1433. resignavit prædictus *Conradus*, & elegerunt ipse & alii fratres de domo S. Meinulphi *Joannem Crevet*. &c.

8. Anno Domini 1507. Polycarpi electus est Prior *Hermannus Westervolt*, absoluto Godfrido.
9. Anno Domini 1510. Mortuo Hermannno eligitur Prior Dionysii *Gerhardus Holckenberch*. scripti alibi plenius.

DECIMUM TERTIUM CAPITVLVM.

De Reformatione monasterii S. BARTHOLOMÆI IN SVLTA.

Monasterium S. Bartholomæi in Sulda ordinis canonicorum regularium prope Hildensem anno Domini MCCCCXXXIX per patrem *Johannem Busch* in Wyndesem professum inceptum est reformari. Qui circa festum S. Bernhadi Abbatis ibi primum solus ad reformandum intravit. Præfatum monasterium propter aquas in eo salientes *Sulta* vocatur, quæ monasterium circumeuntes ulterius descendunt ad civitatem Hildensem, & per aquæ ductus, per multas civitatis plateas, sub terra ducitur, usque dum in *Indistriam* fluendo terminatur. Unde Consulatus Hildensemensis centum modios hordei brasii per singulos annos dat monasterio in Sulda in festo Michaelis. Aqua præfata, ut dicitur, prius fuit salsa, & in certis locis dæmonum habitatio, qui homines in meridie & in crepusculo rapiens & in altum levans, plurimos sæpe contrivit. Beatus autem *Godehardus* Hildensemensis Episcopus, qui multis miraculis etiam post inauditum claruit in hoc mundo, cum audisset tale in Sulda fantasma regnare, & multos per id in terrorem & stuporem nimium converti, convocato clero suo locum aggreditur Deo consecrandum, & per orationes suas ac suorum, ac dæmoniorum exorcismata ipsum tandem omnino expulit de loco prædicto, *Sulta* vocato, & de omnibus finibus ejus; & aquæ, quæ in parte erant salæ, ut dicitur, dulces fecit & potabiles, & hominum usui multum aptas, ut hodie datur cernere. Ædificavit insuper in eodem loco pulcram ecclesiam de sectis lapidibus, columnis autem rotundis & magnis in honorem S. Bartholomæi Apostoli, eo quod idem Apostolus plures & majores pugnas visibiles & experimentales habuit cum dæmonibus in vita existens, quam alii Apostoli, ipsumque locum per se primum incoluit; ædificia coaptavit & presbyteris & clericis, & Xenodochium pro pauperibus suscipiendis anno Domini MXXIII. Dominus *Bruningus* Hildensemensis electus & confirmatus Episcopus anno Domini M. C. XVI. locum ipsum inhabitavit, & canonicos regulares ibi instituit: Episcopatum resignavit, & ibi in Ecclesia sepultus est ante chorum in sepulcro elevato, habens episcopi imaginem de lapide sculptam super se. Hanc imaginem in reformatione [intro] intertulimus & circa altare Confessorum ad ostium chori eam posuimus, imaginem S. Godehardi eam vocantes, & canem ad pedes ejus sculptam, in imaginem dæmonis commutavimus; eo quod idem Sanctus dæmonem de Sulda expulit. Sarcophagus etiam ejus ante ostium chori non jacet super ossa ejus, quia ipse jacet sub cancellis in sepulcro, lapidibus infra, supra, & à lateribus murato: & omnia ossa ejus integra imputrescentia ordinatè à capite usque ad pedes ejus ibi jacent, sicut cum corpore fuerant imposita. Vestimenta sacerdotalia & Episcopalia & carnes & cætera alia interiora ejus computuerunt. Aperuimus sepulchrum ejus, & ita ista invenimus, & recludendo istud dimisimus. Sarcophagus, quo corpus ejus tegebatur, propter cancellos non poterat ibi remanere: sed ubi finitur sarcophagus, statim continuo jacet reconditum. Et mirum valde, quod is, quum trecentis quinquaginta annis jacuit in sepulcro: ossa omnia incorrupta & singula iste

Q q q :

locus

locus conservat, condecenter sibi conjuncta; nisi quod caro, & cutis, & intestina, tanto tempore incinerata extiterunt. Anno igitur Domini M. CCCC. 39. sub Domino Magno Hildeshemensis Ecclesie Episcopo quadragesimo, tempore *Johannis Driborch* Præpositi ejusdem monasterii in Sulta 25, reformatio ejus per patrem *Johannem Busch* in Windesem professum, qui duobus annis officium Supprioris habuit in *Wittenborch*, inchoata est hoc modo: Prior enim de *Wittenborch* pater *Godfridus*, etiam de *Windesem*, de consilio nostro, auctoritate concilii *Basiliensis* sibi per bullam commissa, mandatum misit in *Sultam* ad conventum, ut sub certis pœnis in bulla contentis in certo termino se reformarent. Adveniente igitur termino accessimus, Prior & ego in *Sultam*; & Dominus *Aggehardus de Hanenze* Præpositus Ecclesie majoris Hildeshemensis adjunxit nobis suffraganeum suum, Dominum *Johannem Carstiken* & Dominum scholasticum *Sifridum de Rossingen*. Cum instarem in domo capituli congregati, ut se reformarent: dictorum duorum consilio respondent, quod [judicio] domini Decani Hildeshemensis & sui capituli in summo (*) stare vellent. Unde contenti fuimus. Convenimus autem ipsi & nos in termino præfixo coram Dominis de Capitulo in summo, ubi Dominus *Johannes de Zwickelt* tunc senior & præfidens erat, qui habuit in commisso à Domino Præposito *Agghardo* de consilio meo, quod responderet. Dixit ergo: Dominus Hildeshemensis & capitulum suum vult, ut unum aut duos fratres de reformatione ad vos suscipiatis, & duos vel tres de vestris fratribus ad monasteria reformata transmittatis, & regulam & tria ordinis substantialia pro primo assumatis & observetis; & ita dimissi sumus ab eis. Nondum una hebdomada transacta, per dominum Hildeshemensem & ejus capitulum, & per Priorem de *Wittenborch* ego solus deputatus fui ad habitandum cum eis, & eos ad observantiam regularem perducendos. Per integram igitur hebdomadam fui cum eis, videns eorum conversationem in choro, refectorio, dormitorio, claustro, & nihil observabant, unus infra (**) gloriam sedebat, alius ambulabat, tertius ad orientem, quartus ad occidentem se vertebat. Faciebat enim unusquisque, quod volebat, nec Deum, nec homines reverentes. Comedebant ad unam mensam, quo volebant ab utroque sedentes latere mensæ: loquentes interdum, quæ ad rem non pertinebant. Hebdomada transacta dixi Præposito & fratribus: Video, quod non tenetis vitam regularem, nec mores religiosos habetis, nec silentium, nec quicquam ad observantiam debitam pertinens observatis. Si vultis ergo, dicam vobis, quæ pro primo oporteat vos observare. Si à me hoc non libenter suscipitis, tunc Dominus Decanus in summo, & Dominus officialis ex parte Domini Hildeshemensis volunt vobis mandare, quæ debetis observare. Tunc Præpositus respondit, vir senex & plus quam sexagenarius: dicatis vos nobis, & libenter audiemus. Dimittatis Dominos de collo nostro. Dixi ergo, oportet vos primum propria resignare: & fecerunt sic. Ivi ad cellas singulorum cum Præposito & fratribus; qui omnia, quæ vidimus, propria resignaverunt. Et adjeci, quod silentium observare deberent in choro, refectorio & dormitorio, & post capitulum profundum silentium: quod etiam assumpserunt, sed malè servaverunt, quando soli erant. Tunc enim in omni loco & tempore pariter loquebantur, quando nullus audivit vel vidit. Ad mensam etiam legi aliquid post benedicite de sacra Scriptura, & post dedi pro primo licentiam pariter aliquid boni conferendi, & in choro, ut unus chorus staret unum psalmum & secundus alium psalmum, & cetera ibidem servare consueta. Post aliquod tempus induxi eos, ut in superpelliciis *Benedicite* cantarent: deinde ad mensam sedentes ea exuerent, & ante gratias ea reinduerent, & ita gratias decantarent, & cum psalmo miserere ad chorum procederent. Admisi etiam, ut usque ad omnium Sanctorum in refectorio superpelliciis essent induti in principio. Tandem omnia servavimus, prout in institutis habetur. Fui autem in *Sulta* solus cum illis fratribus per quindenam, caritative inducens eos successive ad nostram regularem observantiam. Sed quod solus id perfecte facere non poteram; placuit mihi & his, qui mecum de *Canonicis* fuerant deputati ad hoc, ut adjutores mihi acquirerent de aliis monasteriis nostris reformatis. Præpositus in summo Dominus *Aggehardus de Hanenze* principalis fuit omnium monasteriorum reformatorum promotor, defensor & adjutor, quod mirum posuit se semper & ubique pro sancta reformatione; & fuit caput nostrum ad omne bonum, quod sine ipso nihil potuissemus profecisse. Episcopus enim Hildeshemensis & canonicissimi libenter eum audierunt. Sed & vasalli & tota patria ad ipsius pendebant consilium. Dominus autem *Borhardus de Hardenberghe* Canonicus in summo, & Dominus officialis *Rolandus* executores fuerunt agendorum in Reformatione. Dominus Decanus in summo *Joannes Zwanensfügel* etiam consilio & auxilio nobis astitit: & Dominus *Joannes Reem* officiatu Domini Hildeshemensis in castro *Sturwolt*, quem omnes fratres nostri antiqui timebant quod spiculator erat captivorum in castro satis severus. Accessi igitur cum literis Domini Hildeshemensis ad monasterium ordinis nostri in *Richenberghe*, ubi Prior tunc erat *Hinricus Cremer*; qui duos mihi fratres electos concesserunt, *Hermannum Law* & *Johannem Bodiker*, qui in monte *S. Georgii* primum fuerant investiti, & jam per

(*) id est Capituli cathedralis

(**) gloria est locus in Ecclesia lucidus & variis picturis, quandoque gloriosa Christi ascensione vel similibus ornatus. Interior pictura cupolæ, ut vulgo appellant, (id est, fornix basilicæ) quæ lux per fenestras intrat, apud Italos vulgo gloria appellari solet.

per annos quatuor reformationem in *Richenberch* didicerant: qui fidelissime mihi astiterunt, & ex eo tempore, quo ad Sultam venerunt, prudenter & devotè nobiscum conversati fuerunt. Reformationem mecum inceperunt, voce & exemplo fratres ad meliora provocantes. Insteti autem, ut unus fratrum iret in *Richenberch*, alius in *Wittenborch* ad videndam plenam eorum reformationem: quod consideravi, quam diu simul omnes in *Sulta* permanerent, ad plenum non poterant reformari. Quia cum nullus reformatus aderat, tunc nihil inter se servabant; media nocte sicut media die loquentes ad invicem & similia facientes. Placuit ergo mihi & Dominis mecum deputatis, ut unus eorum, Dominus *Johannes Treen* ad tempus staret in *Richenberch*: alius *Didericus Reemsnider* staret in *Wittenborch*. Cum autem Domini præfati id eis proposuissent in communi audientia in domo capituli, petierunt absentiam, ut moris eorum erat: & interrogabant me, quid consulerem eis. Respondi: consulere id non audeo, timens eos prima nocte exitus eorum fornicationis, cum nullum eorum repperi castitatem servasse, & quidam eorum filios habebant. Demum responderunt, quod Dominus *Hildenhemensis* & Canonici summi nollent eis dare licentiam; sed irent, quo deputati fuerant. Dominus ergo *Johannes Treen*, qui mecum iturus erat in *Richenberch*, pro fratribus mihi ibi concedendis in adjutorium, ipse ibidem permanens, nocte illa per sculam portam cimiterii clausam ascendit, & ita evasit, apostata factus. Alter tamen ivit in *Wittenborch* cum *Gerhardo* Clerico: sed post tres dies ivit in civitatem cum licentia, reversus. Unde fama volavit per civitatem, quod Episcopus voluit eum capere & in *Sturwolt* incarcerare. Timore igitur perterritus, rediit in *Wittenborch* ad tempus. Amici ergo illius apostatæ *Johannis Treen*, ad ejus instantiam petierunt sibi indulgeri, quod fecerat. Tandem consensum acquisivit, si tamen carcerem intraret, sicut meruerat: vespere in crastinum vellent pro eo intercedere, ut educeretur; & tunc tamen primum esset in *Richenbergh* ad tempus, post ad certos annos absentiam acciperet à Domino *Hildenshemensi* & ab ejus Præposito, quod totum ita factum est. Cum autem fratres plures pro absentia ad certos annos impetranda instabant quotidie, & ego in hoc essem scrupulosus; & in eorum omni simul permanentia monasterium non poterat reformari, quod non timebant Deum nec homines, nisi parum, in nostra præsentia: convocavi patres reformatos in cartallo *Hildenshemensi*, videlicet Abbatem de *Bursfeldia* ordinis *Benedicti*, Dominum *Henricum* Abbatem de *Marienrode* ordinis *Cisterciensis*, Priorem de *Carthusia* prope *Hildesiam*, Decanum *montis S. Mauriti*, Magistrum *Theodericum* Jurisperitum & virum conscientiosum, omnes bene reformatos & patres reformationum, dicens eis, quomodo me habere deberem? an bona conscientia assensum præbere possem, ut ad certos annos reciperent absentiam à suo monasterio? responderunt una voce omnes: si fratres vestri antiqui omnes in suo permanerint monasterio, nunquam id reformare poteritis, quod ipsi reformationem observare nolunt. Melius est ergo, ut quotquot petierunt absentiam, detur eis, uni ad annum, alteri ad duos, alteri ad 3. 4. 5. decem &c. & quum redierint, non simul redeant, sed singuli diversis temporibus. Interim assumatis fratres alios reformatos, aut de novo alios investiat, cum quibus debitam poteritis retinere observantiam, & tunc sigillatim revertentes oportet, ut vobis se in omnibus conforment. Ita successivè poteritis monasterium reformare. Fratres etiam absentiam precantes promittant, quod sacerdotaliter vivere velint foris. Sic iterum invenerint, qui eos tunc poterunt corrigere; quod melius in populo se habebunt honesto timore, quam se nunc habent in monasterio, ubi neminem jam curant. De cætero feci sic; & ita monasterium ex tunc ad plenam cœpit pervenire reformationem. Ego enim Prior ibi sui institutus, & habui super me Præpositum virum senem sexagenarium, qui non libenter fuit in conventu, sed communiter fuit in ecclesia parochiali monasterio incorporata in *Lune*, ubi etiam habitare & mori & præposituram propter eam resignare sæpius precabatur.

*Antiquus resignat Præpositus, & Frater Johannes Busk
instituitur ibidem Præpositus.*

Cum igitur monasterium nullatenus poterat reformari sine capite & Præposito, sano & bene reformato, & Præpositus *Sultensis* senex & minimè fuit reformatus, bonam ad reformationem non habens voluntatem: petiit, ut officium Præposituræ posset resignare, ipso in *Lune*, in villa ejus incorporata, diebus vitæ suæ permanente. Ego laboravi, ut unus de fratribus mihi de *Richenberg* concessis in Præpositum in *Sulta* præficeretur. Vocavi enim propter hoc de *Richenberg* *Hinricum Cremer*, & de *Wittenborch* *Godfridum de Tyla*, ut consulerent, quem de his duobus eligeremus. Qui ad me venientes, longa deliberatione præhabita, mihi responderunt, ex parte Dei & capituli nostri generalis rogamus vos & vestram personam, ut Præposituram in *Sulta* assumatis; cum si unus eorum, qui non diu in reformatione adhuc fuerunt, eam assumeret, prioris vitæ posset recordari, & morem præteritum velle retinere, & ad generale capitulum nostrum difficulter se dare: & plura alia motiva sua mihi proposuerunt. Cum autem omnino id recusarem, nesciens, quomodo sine confusione & scandalo meo & monasterii mei in *Windesem* id in terra aliena regere possem, responderunt: vos monasterium istud ad bonum statum de malo jam perduxistis. Si id nunc negatis, tunc

perditus est labor vester, hic factus per vos & per fratres vestros. Tunc accepi tempus deliberandi, locutus cum duobus confratribus istis mihi concessis: qui omnibus modis petierunt, ut consentirem ipsis; [& quod] fidelissimè mihi vellent astare. In crastino autem assensum præbui. Anno igitur Domini M. CCCC. XL. Purificationis B. Mariæ, *Job. Driborch* in domo Proconsulum Hildeshemensium, ubi Episcopus tunc erat, officium Præposituræ in manus Episcopi resignavit, qui statim mihi de Præpositura eadem providit. Sed tamen tunc ad hoc consensum non præbui, nisi Præpositus *Eggardus de Hanensee* in summo mihi prius promitteret, quod cooperari & perficere vellet, ut *Sulta* generali capitulo incorporaretur. Tunc ait antiquus Præpositus: ego sedi super equum & dimisi vobis, & jam sedeo super asinum: non vultis in hoc consentire? Tandem consensi. Episcopus misit officialem suum & unum canonicum Ecclesiæ Hildeshemensis, ut me in *Sulta* intronisarent, quod & cum omni diligentia fecerunt: & omnes fratres mihi obedientiam in domo capituli, post egressionem de stallo chori, continuo fecerunt, & de cunctis monasterii bonis mihi responderunt. Prandio factò Præpositus in summo & Officialis Domini miserunt pro me, rogantes, ut Episcopo concederem XV. florenos Renenses. Dixerat enim Præpositus præfatus Episcopo, cum pecuniam confirmationis meæ ab ipso requirerent: ego ita agnosco patrem illum, quod ante suam confirmationem nihil vobis dabit. Sed post confirmationem modum invenimus, quod bene etiam aliquid habebitis. Respondi ego ad petitionem eorum, quod hoc nullatenus facere possem, ut Episcopo tunc pecuniam aliquam concederem; quod plures putare possent, quod propter confirmationem nostram id facerem, & ita Simoniam committerem. Cum id audisset, dixit Episcopus: ego non sum sanctior, Papa, cui pro confirmatione misi trecentos pene ducatos: & Præpositus in *Sulta* contra sibi dari petit Præposituram: & minabatur, quod vellet mihi capere vaccas nostras, quod aliquid vellet habere. Audivi, quod quidam, diligens reformationem, fecit voluntatem suam: permani ergo cum omnium voluntate, quorum intererat, Præpositus. In Hildensheim etiam Sabbato post conciones, quæ conciones dominica post Michaelis incipiunt, per hebdomadam perdurantes; aurea missa ab omnibus canonicis totius civitatis, & à cunctis Prælatiis & religiosis cujuscunque ordinis, etiam mendicantibus, per tres aut quatuor horas decantari solet de B. Maria Virgine in organis. Unde cunctis præsentibus dantur notabiles præsentia Prælatiis, sicut mihi pullus caritatis, pretiosis speciebus conditus, pullus assatus, dimidia stopa vini, cuneus sive albus panis tam magnus, quod omnibus nobis ad mensam sufficeret; & quatuor solidi dantur. Singulis vero fratribus dantur duo solidi Lubicensis pro præsentia. Ante istam auream missam fratres omnes antiqui adhuc habitum deferebant antiquum, videlicet scoricium sive sarracium (*) suum. Venerunt ergo ad *Sultam* de consilio meo Dominus Officialis & Dominus *de Hardenberg* ex parte Domini Hildeshemensis & Dominorum de summo capitulo, rogantes, ut omnes, qui tunc reformati dicebamus, in habitu reformato, in subtili videlicet superpellicio & almucio ad illam auream missam venirent. Fratres ergo antiqui omnes præsentibus, quia plures licentiam obtinuerant, tandem in hoc nobis consenserunt. Rogavi etiam tunc Præpositum nostrum antiquum, Prior ejus existens, ut de cantu nostro assumendo consensum præberet. Qui ait: cantetis vos cum fratribus omnibus, sicut vultis; ego alium cantum discere non possum: & ita prandio factò recessit in Lune. Ego ergo & illi duo fratres mihi concessi statim misimus in Wittenborch pro libris cantualibus, & pro sartore *Wesselo* laico, qui statim miserunt eum & libros, quos postulavimus. De *Marienrode* Abbas etiam nobis misit sartorem bonum conversum *de Camp* & statim tunc cantum nostrum assumpimus, & vestimenta nova preparavimus, & in die S. Galli in domo capituli Præpositum antiquum & omnes fratres antiquos habitum nostrum induimus; primo tunicam dictam subtile superpellicium & almucium nobis concessa, quæ ipsi non habuimus; & ivimus continuo ad chorum, in organo cantantes missam de sancto Spiritu, cum magna devotione in solemnitate. Ac deinceps ad regularem observantiam magis ac magis appropinquavimus, & in aurea missa singuli in ordine nostro stetimus, & nos reformatos habitu ostendimus in multorum admirationem, qui tales canonicos, tales habitus nunquam antea viderant. Hæc acta sunt tempore Prioratus mei sub Præposito prædecessore meo, licet hic jam posuerim ea, propter sequentia.

Anno igitur XL ad ordinem clericos de seculo suscepimus, perfectam per eos in monasterium inducere cupientes reformationem, sicut factum est. Primo *Bertoldum Semier* de nova civitate Hildeshemensis ad ordinem suscepimus, qui post professionem primò procurator, ac demum Prior in *Sulta* factus est: qui etiam primo reformavit monasterium monialium in *Heyninge* dioc. Hildeshemensis, ubi & post Prioratus sui resignationem rector factus fuit, me in locum ejus intrante, & ibi in nostra præsentia diem clausit extremum. Eodem anno investivimus alium clericum fratrem *Johannem Olzine* de Hildesheim, virum satis industrium & in omnibus expertum, in temporalibus & spiritualibus, qui plus quam XV. annis fuit procurator in *Sulta*, expertus, multum in futurum prospiciens, & VI. annis in Lune fuit Pleba.

(*) s. sarracium. vid. Joh. Busck Du Cange.

Plebanus, ecclesiam illam monasterio incorporatam & totum Archidiaconatum nostrum, cum honore & debita populi regens custodia, ut in præceptis Dei ambularent. Anno frequenti XLII. in bona feria quinta investivimus tertium de sæculo clericum, fratrem *Bertoldum Eyke*, qui etiam primò ad tempus procurator, & post per annos XX. Supprior fuit monasterii in Sulta, officium suum die noctuque infatigabiliter custodiens, conventumque in omni disciplina & regulari observantia; quum prior frequentius absens, propter diversorum monasteriorum utriusque sexus sanctam reformationem & visitationes fuit; Ipse primus & ultimus in choro & refectorio & claustro, homo maturus & strenuus, strictissime observavit. Ac demum plures clericos fratres investivimus, cum quibus sanctam reformationem optime manutenuimus; ita ut fratres antiqui, suo tempore reversi omnes, nullum reformationi nostræ pararent impedimentum.

De antiquis fratribus.

Sex antiqui fratres licentiam habuerunt à Domino Hildeshemensi & à Præposito suo ad tempus certum foras existendi ac sacerdotaliter se regendi, diversoque tempore redeundi, ne pariter venientes impedirent reformationem; unus post duos annos, alius post tres, quatuor, quinque, sex, decem. Contigit autem, eos fieri inobedientes omnes, & ideo per Dominum Hildeshemensem excommunicari & interdici. Qui ad sedem Maguntinam appellantes, per judicem à Domino Maguntino ad hoc ordinatum, fuerunt absoluti. Ego ad Magunciam misi cocum nostrum: postea XX annis Supprior em nostrum, *Bertoldum Eyke* ad Magistrum *Hinricum Broel* in ordine S. Benedicti Priorem, qui ita judicem informavit, quod ad pristinas excommunicationum sententias eos statim reintrusit, & sic per diocesin Hildeshemensem, excommunicati tenebantur. Quo facto promiserunt Domino Hildeshemensi XL. florenos Renenses, ut eos ad Monasterium suum etiam per fortes redire concederet. Constituit ergo eis diem, quo redire deberent. Hoc audiens Dominus *Hinricus* Abbas in Marienrode prope Hildesheim ordinis Cisterciensis, misit ad me Capellanum suum, Dominum *Bertoldum de Alvelde*, cum sororum Hildeshemensium audirem confessiones, qui mihi ista nuntiaret: adjiciens, quod Domini de summo essent in capitulo. Ivi ergo statim cum eodem Capellano ad capitulum in summo, petens me audiri. Introgressus autem dixi: Venerabiles Domini, Domine Præposite, Domine Decane, & vos omnes. De mandato Domini Hildeshemensis & vestro consilio assumpsi monasterium *S. Bartholomæi in Sulta* ad reformandum, & statim ibi modo in bona reformatione. Nunc audio, quod Dominus Hildeshemensis cras velit per fortes, fratres nostros antiquos ad Sultam reintducere, quem tamen certos annos singuli habent, quando debent redire. Si hoc facere velit, tunc vobis modo idem resigno monasterium: tres vero fratres, quos investivi, *Bertoldum Semeyer*, *Johannem Olzinc* & *Bertoldum Eyke* mecum volo assumere, & ad alia monasteria meliora, quam *Sulta* est, introducere, & fratres mihi concessos ad sua remittere monasteria. Respondit Decanus, nos volumus loqui. Miserunt autem ad me Dominum *Egbar dum de Hanensee* Præpositum & alium Canonicum, dicentes: Sustineatis, oramus, quod Dominus Hildeshemensis pecuniam, sibi per fratres vestros promissam promereatur, qui postquam introierint, statim inde iterum eos ejiciet. Respondi: ad unum diem nolo, ut tali modo sint nobiscum, quod destruerent totum bonum ibidem inceptum. Cumque ad consentiendum flectere me non possent, redierunt ad capitulum, vocantesque me, dixit Dominus Decanus Docteur Legum & vox capituli: Domine Præposite, Domini mei de capitulo commiserunt mihi vobis dicendum: nullum ingredi ad vos permittatis, nec advocatum, nec ipsum Dominum nostrum; Nos in hoc caput vestrum esse volumus. Ita cum gratiarum actione ab eis recessi ad sorores, cum eodem capellano, eas ulterius in confessionibus expediendo. In crastino autem Dominus Hildeshemensis nuntios suos misit in *Sultam* cum literis, petitiones suas continentibus. Consulatus adjunxerat eis Consulem *Luttikebolen*; & Dux *Otto*, *Spegelbergensem*; cives etiam quidam cum eis exiverant. Trecenti viri etiam venire voluissent, sed consulatus prohibuit. In Cella sedens, vidi eos civitatem egredientes, & mandavi, ut ostia monasterii clauderentur. Pulsantibus illis ostium, ego cum tribus fratribus ad eos exivi in Paradisum cum *Hermanno Leonis*, *Johanne Bodiker* & *Henrico Emen*. Interrogavi eos, quid desiderarent? Tunc lecta fuit in tentunico [f. tentorio] litera Domini Hildeshemensis continens, quod, quicumque aliquid facere vellet pro Domino Hildeshemensi, ad hoc juvare deberet, ut antiqui fratres in *Sulta* illac redirent. Et *Henningus Luttikebole* adjecit: hoc etiam Consulatus Hildeshemensis petit, quod fratres isti omnes facere volunt, quod jubetis.

Et *Spegelbergensis*, Dux *Otto* idem petit, & illud libenter cupit promereri. Respondi: nos interloqui volumus. Quibus revocatis dixi: ego & fratres mei, quod in isto fecimus monasterio illud reformando, de mandato Domini Hildeshemensis & sui in summo capituli fecimus. Cras disponam, ut ad capitulum veniant, & Episcopus illuc suos mittat. Si quid tunc aliter in *Sulta* deo facere, quam feci, libenter faciam. Et regrediebantur inde bono consensu. Cum ad monasterium retro intrarem, commisi Priori, ut ostium post se clauderet.

ret. Vix autem in Ecclesiam exire volens clamavi, ut vi, ut paulisper expectaret, donec exirent. Interim fratres per ostium irruerunt in culinam, ulterius in ambitum cum quibusdam civibus; quibus Consulatus mandat sub pœna corporum & bonorum, ut exirent; quod tandem consensit. Tunc fratres remanentes mantella sua à se projecerunt, & in scorticis suis incedentes, capita elevantes & brachia & latera sua ponentes, gavisi sunt, quod per fortes monasterium obtinuerint. Misi ergo fratres duos ad capitulum in summo pariter congregatum, ut narrarent, quid nobis acciderat: qui longa deliberatione præhabita, putabant, Episcopum & Consulatum in unum convenisse, ut in suum monasterium intrare deberent; nihil pro reformationis permanentia respondentem, sed, si vellem, quod cum fratribus, per me investitis & ad obedientiam receptis, irem, quod vellem; postquam per duos vel tres annos monasterium in *Sulta* fuerat reformatum. Fratres autem isti duo de capitulo redeuntes, accesserunt ad Abbatem de *Marienrode*, in curia in civitate manentem, cui responsum narraverunt. Qui respondit: Dicatis patri vestro, quod nullo modo egrediatur de monasterio, sed cogitet, quomodo ab eis liberari poterit. Interim, quod fratres isti fuerunt in capitulo, ego locutus sum cum *Wilhelmo & Godfrido*, dicens, Dominus Hildeshemensis non permittet, nos ita per vos gravari. Tunc vos primi eritis, quos apprehendet, quod obedientiam mihi fecistis & non servastis. Responderunt: precamur, ut vos finatis nos abire. Igitur de consensu nostro recesserunt. Interrogati à Præposito, ubi alii manerent? responderunt: jam sedent in carcere, nos vix evasimus. Quod verum putantes, miserunt eis cibum ad comedendum, quibus ultra *Sultam* iussi responderi: non debent comedere. Posthæc locutus sum cum fratribus *Johanne Croen & Burchardo*, vos diu desiderastis ecclesiam habere in *Attelum* nobis incorporatam; responderunt: Verum est, & conclusi cum eis de modo, quo ibi sederent. Similiter cum fratre *Hinrico Peinis & Diderico Reymnsider* conclusi de modo, quem ipsi servare deberent. His ita compactatis, rogaverunt, ut eis ad comedendam aliquid darem, & irem pro absolutione eis impetranda, quod mecum jam essent concordem. Respondi: Ego monasterium non exibo, nisi vos prius inde exieritis: alias clausissent post me januam, & ipsi mansissent, in periculum totius reformationis. Exierunt ergo ante me, & ingredi non audebant civitatem propter interdictum eorum. Interrogaverunt me in civitate, ubi essent novitii nostri? dixi: jam à nobis recesserunt. Præpositus in summo dixit mihi: quare dimisistis eos? Dominus Hildeshemensis nocte eos intertulisset, & in *Sturwolt* castrum incipasset. In crastinum ad instantiam meam fuerunt absolvi. Ex illa hora omnis eorum impeditio contra nos cessavit, & omnis querimonia civium, qui in monasterio fuerunt, & ibi permanere timuerunt.

*Quomodo capitulo generali VVyndensemensi fuerunt
incorporati.*

Postquam ergo habitum, cantum ordinarium, ceremonialia, regulam & statuta assumpsimus & servavimus, non restabat pro stabilitate nostræ reformationis, nisi, ut generali capitulo de *Windesem* uniremur & incorporaremur. Primo igitur anno Præposituræ meæ [1440] perrexi in *Wyndesem* ad Capitulum. Illo igitur anno, propter duorum Episcoporum in *Dioecesi Trajectensi* contentionem non servabatur capitulum generale, quod ille de *Desolt* voluit, ut in *Wyndesem* servaretur: alter de *Culenborch* id noluit & prohibuit. Placuit ergo patri de *Wyndesem* & ceteris patribus, ut non capitulum sed colloquium primum servaretur: & si quid ordinandum necessariò fuisset, hoc Prior de *Windesem* sua auctoritate ordinaret & committeret. In *Gaesdonc* autem partium *Gelria* istud colloquium fuit celebratum, quod est monasterium ordinis & Capituli nostri prope *Gogh*. Cumque in omnium audientia proposuissem, quomodo in *Sulta* jam cantum, victum, habitum & statuta capituli observarent, petens, ut monasterium nostrum sibi unirent & incorporarent, responderunt, quod primo oporteret, quod per Episcopum Hildeshemensem nomen Præpositi in nomen Prioris commutaretur, & Archidiaconatus deponeretur: tunc parati essent facere, quod petebam; & Prior de *Wyndesem* auctoritate sua iterum mihi concederet regimen dicti monasterii in *Sulta*, quod & fecit. Ego verò domum rediens, per me & per Præpositum Ecclesiæ majoris Hildeshemensis Dominum *Eghardum de Hanenzee* plurimum laboravi pro consensu Episcopi ad præmissa, & ut confirmationem Prioris Capitulo generali resignaret, quod multis annis impetrare non potui. Tandem ad consultationem Domini *Iohannis Christiani* Decani S. Crucis in Hildesheim Episcopus Magnus concessit, ut juxta modum & formam incorporationis monasterii in *Richenberge*, Capitulo generali factam, etiam monasterium in *Sulta* ei incorporaret; literas sigillatas nobis desuper concedens, quas in formam nobis bene convenienti confecimus, & Capitulo generali præsentavimus. Nomine igitur Præpositi in nomen Prioris commutato, accessi in *Windesem* ad generale Capitulum & petii, monasterium nostrum in *Sulta* eis incorporari, & à die, qua primum Præposituram assumpsimus pro incorporato haberi: adjiciens, quod à civitate Monasteriensi usque *Windesem* Prior vellem vocari, & ulterius inde per Saxoniam Præpositus, sicut ante, nuncupari. Obtinui ergo tunc intentum ibidem à Prio-

à Priore *Wilhelmo de Windesem* & à Diffinitoribus Capituli, ac demceps electum membrum fuimus ipsius generalis Capituli, sapius in diffinitione electus. Cum igitur certum habeamus, reformationem illam à Deo non esse, quæ non patiatur adversitates & difficultates: idcirco aliquid de adversitatibus, quæ nobis interim acciderunt, enarrabo. *Contigit, civitatem Hildesheim per Abbatem & Monachos de Marienrode ordinis Cisterciensis excommunicari* propter spoliū lapidum de eorum lapidina commissum: quibus dominus Hildeshemensis & Canonici in summo, & per consequens omnes Canonici, Abbates & Monachi & Presbyteri totius civitatis, intus & extra, adhæserunt, & interdictum Apostolicum non servaverunt: sed apertis januis Ecclesiarum suarum excommunicatis & interdictis ad missas cantaverunt. Nos verò post hoc etiam ad servandum interdictum à Monachis per Notarium & testes in *Sulta* fuimus requisiti: qui statim solemnitatibus omnibus divinatorum intermissis, servavimus interdictum. In crastinum tunc Episcopus *Magnus* notarium suum misit ad me in *Sulta*, sub excommunicationis & quadringentorum florenorum pœna præcipiens, ut nulla mandata Apostolica susciperemus aut servaremus sine ejus *VIDIMVS*, qui post nostram requisitionem statim recessit. Tertia die consulatus Hildeshemensis misit ad me, in prandio in refectorio sedentem, Secretarium suum, qui dixit: Domini nostri de Consulatu Hildeshemensi jam sunt congregati, & miserunt me ad Vestram Paternitatem, requirentes, an cum ipsis, vel cum Monachis tenere vultis: secundum hoc se vellent disponere, responsum vestrum per me expectantes. Cui respondi de mensa vocatus. Amice carissime, non possum tibi tam citò dare responsum; sed oportet me prius loqui cum Episcopo, Præposito Ecclesiæ majoris & aliis amicis. Infra triduum per me, seu per alios dabo responsum eis. Qui licet multum instet, statim volens habere responsum, tamen tandem etiam acquievit & recessit. Prandio tunc facto, accessi ad civitatem, & inveni Proconsulem medio bacularium in foro, qui vel maximè fuit causa spoliū Monachorum, cui etiam dixi: Domine Proconsul *Bertolde Steeyn*; Monachi requisiverunt nos ad servandum interdictum literis Apostolicis, & sequenti die Dominus Hildeshemensis etiam requisivit nos per Notarium, ut non servaremus interdictum sub pœna excommunicationis & quadringentorum florenorum: tertia die misit ad nos Consulatus, an cum ipsis vel cum monachis vellemus habere: quod datis nobis consilium, quomodo faciemus? Respondit, consulo, ut faciatis, sicut facit Ecclesia vestra cathedralis Hildeshemensis. Et dixi, *Domini nostri in summo cantant, sed nolunt celebrare, quia, si celebrarent, & post inventum esset, quod errassent, & interdictum servare debuissent, tunc præbendas perdidissent*: de cantu non perdunt aliquod temporale, sed peccant mortaliter & perdunt animas. Ego autem antequam scienter mortaliter peccarem, potius eligerem suspendi hic in foro in patibulo, aut igne cremari aut decollari: quoniam, si mortaliter peccarem, animam meam occiderem. Nemo mihi consuleret, ut corpus proprium occiderem, quomodo tunc animam meam deberem occidere, peccando mortaliter? cum una anima melior sit, quam centum corpora: imago enim Dei est, non habens finem. Si enim cantarem, facerem contra conscientiam meam & peccarem. Respondit: Vos habetis erroneam conscientiam. Et dixi: quis emendabit istum errorem? Respondit: Ite ad Doctores in summo, qui informabunt vos. Dixi: ipsi cantant, sed nolunt celebrare, conscientiam & mortale peccatum non advertentes, sed præbendas amittere timentes. Et dixit: Nos habemus justitiam & veritatem pro nobis in facto Monachorum, hoc videbitis. Respondi: Si judex vester essem constitutus, tunc oporteret me causam vestram discutere. Hoc jam ad me non pertinet, sed mandatis superiorum meorum obedire. Et ait: Cantetis tamen aliquam unam horam canonicam. Respondi: Non est dies, quin aliquid semper cantamus. Et non dixi sibi, quid cantavimus, quia benedicite & gratias cantavimus semper, & tunc post miserere cantando ivimus ad chorum. Ideo cives nesciverunt, an interdictum servavimus vel non. Etiam hora septima mane civitas aperiebatur: tunc missæ nostræ & ea, quæ in choro legimus, fuerunt finitæ, & ecclesia nostra per diem mansit aperta, quod singuli ceteras horas per se legerent in cellis, ubi volebant. Dominus Hildeshemensis promissit, consulatui, quod tota terra cantare deberet: unde Prior de *Richenberg Henricus Cremer* scripsit Doctori *Taken* (*) in *Magdeburgh*, ut sibi & conventui de loco provideret, quia, antequam cantaret, de monasterio vellet exire, & cum suis recedere. Ego autem in medio ignis permansi incombustus. Unus Proconsolum *Conradus de Gottinghe*, bonus amicus noster, dixit Episcopo: Præpositus de *Sulta*, antequam velit cantare, potius eligeret, ut cum assere caput ejus detruncaretur. Tunc dixit Episcopus: Ego nolo spiculator ejus esse. Dominus Decanus Hildeshemensis Doctorem *Zwanevogel* dixit: Præpositus de *Sulta* cum sua conscientia confundit nos omnes. Ratione non poteram tot Doctores convincere & Jurisperitos: sed contra conscientiam nemo sanum sapiens poterat me compellere. Omni ergo tempore servavimus interdictum, donec judex illud tulit, rescribens: nos esse nec fuisse interdictum; ad cantelam tamen absolvit transgressiones. Ibi posuit videlicet, significans, eos verè fuisse excommunicatos: in die Paschæ interdicti ad divina possunt admitti, excommunicatis ex-

R r r

clusi;

(*) f. Toeken, fuit Henricus Toeken illo tempore doctor celebris.

cluffs; & quidam nominatim excommunicati habitabant in platea civitatis orientali, qui in *Sulta* Ecclesiam frequentabant. *Manè* igitur tunc *hora octava omnia finita erant in Sulta divina*, & monasterium cum Ecclesia aperiatur, & in organis summæ missæ tempore ludere feci: quod illi excommunicati post eorum communionem veniunt in *Sultam* pro indulgentiis infra summam missam. Prandio factò sedi cum fratribus & laicis in cella nostra ad conferendum de eodem Festo, ut in omni Festo moris mihi erat: & vidi mulierculas egredi de civitate, ad *Sultam* pro vesperis ibi audiendis, ubi tunc etiam magna pars civitatis ire solet in Emaus. Timui ergo, quod nominatim excommunicati venirent ad vesperas nostras, coram quibus non licuit nobis cantare. Dixi ergo fratribus, quid super hoc consulerent. Responderunt: quod mihi bonum videretur, hoc facerem. Tunc respondi: nos cum debita pro tanta solemnitate reverentia jam statim sine pulsu hora prima volumus cantare vesperas, & illis finitis, cum magnis campanis nostris pro iis pulsare, & post in organo nostro ludere, ut communis populus non intelligat, quod facimus aut intendimus. Et ita fecimus, conscientias nostras illas servantes; & sacræ Ecclesiæ Dei satisficientes.

De fratribus reformationi se opponentibus.

Plures etiam alias adversitates in principio reformationis perpessi fuimus: quoniam tota pene civitas adversum nos murmurabat, quod eorum filii de *Sulta* expellerentur, & nos alieni in labores & bona ipsorum intravimus; quamvis expulsi non fuerunt, sed ipsi magis cum instantia vix absentiam ad certum tempus obtinuerunt. Unus fratrum cultellum suum apprehendens, comminatus est mihi id in corpus meum intrudere, et astitit alter frater *Johannes Engelken*, dicens: Si id feceritis, tradam forcipem, quem manu teneo, in guttur vestrum. Tunc post voce magna exclamat: *Joduth, joduth*, & omnes fratres in ambitum, ubi stabamus, convenerunt. Tunc accepi fratrem illum ad cellam nostram, & feci ejus voluntatem, solvens sibi ollam & filiis suis, qui in coquinam nostram concesserant. Tunc unus seniorum foras cellam clamat, *Wilhelme!* indigetis adjutorio? bene vocabimus trecentos viros de civitate. Cui alter frater *Hermannus Leo* conreformato meo respondit: nolite multum gloriari; nos etiam bene trecentos viros de civitate, si opus fuerit, acquiremus, qui pugnent pro nobis. Sed ego cum contentavi, quod permansit in pace. Idem frater, jam plusquam octogenarius bonus est, & in bona pace. Alius ibidem frater foris existens, nocte quadam scalam longam posuit ad fenestram cellæ nostræ, ubi dormivi, pervadum *Sultæ* sibi cognitum introgressus; volens me dormientem in lecto interficere, focus suis foras monasterium ipsum præstolantibus. Et cum scalam ascendere incepisset, dixit divinitus inspiratus intra se: tu multa super te jam habes peccata, vis jam adjicere majora? Ita compunctus dimisit scalam, & cultellum in aquam projecit, per viam, qua venerat, ad socios suos regressus. Tertius stans extra Cemiterium, & ego supra, dixit mihi: Vos primò fuistis reformato noster, postea Prior noster: nunc autem Præpositus noster. Vos cum vestris habetis monasterium nostrum, ego foris sum, nesciens, quomodo & quando mihi ibi intrare licebit. Unus Majoris Ecclesiæ Præpositus Hildeshemensis in castro *Sturwolt* mortuus fuit: si istud præcivissem, quam carum fuisset, si vos occidendo etiam ibidem in carcere exspirans defecissem. Cui respondi: quanto citius hoc feceritis, tanto carior mihi essetis, quia tunc ossa nostra pro reliquiis oporteret adorare, & eo citius ad regnum cælorum pervenirem. Hoc cum audisset, quod id gaudium mihi fuisset, confusus recessit. Quartus dixit, bene scirem bonum dare consilium, quomodo à Præposito nostro possemus liberari. Ipse per unum gradum altius in solario dormit solus, quam nos: super gradum illum si pisæ stermerentur: quando tunc in nocte ad matutinas properaret, pisas tunc calcans rueret, & tunc collum frangeret, & nemo fecisset. Hæc & his similia mala multa alia in principio occurrerunt, quæ longum esset per singula enarrare. Ideoque reformatio dicti monasterii in *Sulta* per annos plusquam 31. stetit jam in optima reformatione, unde plura alia monasteria utriusque sexus diversorum ordinum noscuntur reformata, nunc plus quam 20: & ego primus eorum reformato rexi illud continuè per annos penè novem. [Venit anno 1439: obiit 1448.] Vocatus autem fui de *Sulta* per Dominum *Fredericum Magdeburgensem*, Archiepiscopum ad majorem Prælaturam ordinis nostri, ad *Novum opus* prope Hallis, quod monasterium etiam primò cum fratribus, quos ibi posueram, reformavi; de quorum consilio Dominus Magdeburgensis me ibidem in Præpositum creavit. Mansi tamen ultra annum in *Sulta* Prior & Prælatus, timens, si eos deseruissem, antiqui fratres ibi capita sua contra eos, quos ibi investiveram & ad professionem susceperam, erexissent, cum non habuissent defensorem. Postquam ergo Prælaturam in *Sulta* resignaveram, frater *Arnoldus de Gandersem* in *Richenberg* professus, electus est in Priorem in *Sulta*, qui duobus annis cum dimidio Prior permansit, & *Sultam* majorem cum fratribus & mercenariis purgavit, ubi & mortem accepit. Post eum frater *Bertoldus Seymeyer*, primus investitus meus, ibidem Prior factus est, per annos octo cum dimidio illud in bona gubernans disciplina. Quo Prioratum resignante, Ego *Johannes in Windesem* conventualis iterum electus fui in *Sulta* in Priorem, auctoritate Venerabilis

bilis Capituli nostri confirmatus, cui jam de novo XIX annis præfui, perficiens in eo, quod olim ibidem inceperam in regulari vita & bona claustrali disciplina. De quo monasterio sic cut ante, ita hodierno die in diversis locis, ordinibus, Episcopatibus, diversa reformavi monasteria sexus utriusque, ad omnipotentis Dei laudem & gloriam sempiternam, animarumque plurimarum perpetuam salutem, ut in sequentibus lucidè patebit. Misericordias ergo Domini non immerito in æternum cantabo, quod me omnium fervorum suorum minimum ab æterno ad hoc eligere dignatus est, cui laus & gloria per æterna secula. Amen.

Nota. Cum ad *Sultam*, & postmodum ad *Novum opus* primum intravi pro eorum monasteriorum reformatione, dixi ad Dominum: Domine Deus meus! ad istorum monasteriorum reformationem mihi cooperare. *Ego enim mercedem mihi non requiro, nec hinc, nec in futuro, sed hinc magis confusionem. Et quicquid ad hoc facere potero, non quiescam, ut per hoc tu lauderis & in cordibus multorum tu magnificeris. Hoc enim meum gaudium est in æternum, quod ego creatura tua aliquid facere potero, quod novi, tibi bene placere. Ergo non pro mercede sicut mercenarius, sed pro tua gloria, sicut filius libentissimè facio & sustineo, quodcumque per me fieri volueris, & benignissima tua bonitate mihi evenire ordinaveris; quia certissimè scio, nihil mihi posse occurrere faciendum aut patiendum sine tua speciali providentia & dispositione, pro animæ meæ salute. Communiter ubi reformare attemptavi, effectus bonus consecutus est: quamvis in principio frequenter passus fui certas difficultates, quæ signa fuerunt futuræ prosperitatis. Dominus autem semper mecum fuit, tanquam bellator fortis, præstans mihi victoriam usque ad *Archiepiscopum Magdeburgensem*, cujus mecum gesta & finalis conclusio hic subsequuntur.*

[Hæc collecta ex alio capitulo]

*Nomina Præpositorum Monasterii Novi operis
prope Hallis.*

1. BERWICVS, postulatus.
2. LAMBERTVS, primus confirmatus.
3. CONRADVS.
4. HEIDERICVS.
5. DODO.
6. OTTO.
7. CONRADVS.
8. POPPO.
9. ALEXANDER.
10. BRVNO.
11. VLRICVS.
12. ALBERTVS.
13. JACOBVS.
14. ALEXANDER.
15. GERARDVS.
16. SIBODVS.
17. JOHANNES.
18. TIDERICVS.
19. HINRICVS.
20. HERMANNVS.
21. GERARDVS.
22. JOHANNES.
23. BERNARDVS.
24. CONRADVS.
25. JOHANNES.
26. NICOLAVS.
27. NICOLAVS SPYES.

Sub reformatione primus

28. JOHANNES BVSCH reformatore monasterii, & hujus territorii, præfuit annis *. [Johannes Dei patientia Præpositus Novi operis anno 1450. dat licentiam absentiae fratri Bartoldo suo concanonicò f. 3. paschæ.]
29. HINRICVS HORTER ex BODEKEN, el. 54. ob. 1482.
30. JOHANNES KOLE, ob. 1485.

R r r 2

31. ERAS-

31. ERASMVS BERNARDI obiit 1489, 17. Kal. Apr. Interest capitulo provinciali an. 1471.
 32. NICOLAUS, obiit 1504. octavo Augusti.
 33. IOHANNES GETHINCK Doctor decretorum, Palatinus & septimus in sancta reformatione.
 34. NICOLAUS DEMET Magister artium 1519. eligitur, praesente Archiepiscopo ALBERTO.
 35. SIMON ex plebano sed male 1523 electus fer. 4. post Bartholomaei, praesente Cardinale.

[Recentior manus.]

Anno Domini 1533. fratribus *Novi operis* partim per pestem mortuis, & multis factis Lutheranis, septem forsitan relictis cum Simone: *Albertus* Archiepiscopus providit *Simoni* in *Gevekenstorp & Ertershaw* ad vitam. Totum monasterium cum regali Ecclesia destruxit, ducens lapides ad Novum castrum S. Mauriti.

CAPITVLVM XIII.

De reformatione monasterii ad Novum opus prope Hallis, Diocesis Magdeburgensis.

Monasterium *B. Mariae & S. Alexandri* in Novo opere prope Hallis, diocesis Magdeburgensis, solempne satis est, habens Archidiaconatum per XI. penè milliaria, civitates octo, villas plurimas, XX penè millium animarum, in quo Praepositus cum conventu suo & fratribus solempnes solet certis temporibus facere processiones seu stationes. In die Palmarum exit ipse cum conventu suo extra coemiterium in campum intra civitatem & monasterium, ubi obviant tunc sibi trium parochialium Ecclesiarum populi utriusque sexus: quibus tunc palmas benedicere processionesque facere non licet, nisi ibi. Archiepiscopus Magdeburgensis aliquando tempore meo huic processioni interfuit, & ego tunc ibi Praepositus pastorem crucifixum percussi, & feci ibidem agenda. Iterum in die Ascensionis Domini; tunc cum conventu in eundem campum exiens Praepositus, omnes cappis sericis, corpus aureis & argenteis induti. Sedem ferream ante se facit deferri, serico tapeto, cusfino serico cooperatam, super caput deferentium elevatam: cumque ad locum pervenerint destinatum, ipse solus sedet super eam, cunctis fratribus collateraliter coram se stantibus cum crucibus & vexillis; ministris plenarium & reliquias coram se deferentibus. Ubi tunc tota civitas in campum illum sibi occurrit, fratribus & clericis *salve festa dies, victima paschali*, & similibus concinentibus; populusque omnis utriusque sexus cantilenas, tali cantico convenientes, ad singulos versus cantando respondent; donec Praepositus surgens sequitur processionem, & omnis populus eum sequitur usque in Ecclesiam. Ibi enim circa fontem iterum se ponit, super sedem priorem, omni clero & populo astante, &, *sedet angelus*, cum versibus suis ibidem devotè & clamosè decantante; & in ejus fine chorum ascendit, & missam summam decantat. In ecclesia in organo majore divinum tunc complent officium. Iterum *S. Alexandri* martyris, Patroni sui, cujus corpus habent, solempnem etiam faciunt processionem. Ejus enim corpus in magno, bene ornato sarcophago, Presbyteri ad hoc deputati, de ecclesia per cimiterium deferunt, Praeposito & conventu processionaliter subsequenter; omni populo civitatis hinc inde concurrente pro sui Patroni reverentia, quia *per totum Archidiaconatum Hallensem dies illa celebris habetur & mandatur*. Praepositi etiam de *Monte Sereno & Sancto Mauritio* ibi conveniunt, & unus eorum in processione facit stationem & summam tunc cantat missam. Monasterium igitur ad Novum Opus praefatum per Dominum *Guntherum* Magdeburgensem Archiepiscopum primum coepit reformari; pro qua reformatione Priorem de *Richenberge*, *Hinricum Gemer* & me in *Sulta* Praepositum vocari fecit. Fratres enim in *Monte Sereno* primum nos accesserunt, quatuor annos in visitatores nos suscipientes; & inde ad novum opus vocati accessimus. Visitantes igitur monasterium *Novi Operis*, invenimus omnes proprietarios communiter incontinentes & inobedientes. Vulgare enim ibi erat proverbium, nullum ibi fieri posse Praepositum, nisi bis vel ter ibi sedisset in carcere. Cumque fratres reformationi nobis consensissent, misimus ibi duos fratres pro eorum reformatione, *Johannem Bodeken* in *Sulta*, professum, & *Arnoldum Ganderfen* de *Richenberg*, ut verbo & exemplo eis formam darent, quomodo se reformare deberent. Et nos eos in anno semel visitantes, reformationem eorum continuavimus. *Gunthero* autem humanis exempto [anno 1444], Dominus *Fredericus de Bichelinge*, [qui obiit post 19 annos anno 1464] in locum ejus eligitur: qui majori diligentia idem monasterium perfecte reformare nitebatur. Ad cujus instantiam cum fratres praefati in rem vocati fuissent, alios ibi nobiles misimus fratres, Priores futuros: *Rothgerum*, post Priorem in *Wittenborch*, *Everbardum Lochten* de *Richenberga* *Hildeshemensem*, post Priorem in *Hamerstleve* primum in Sancta reformatione; & *Johannem Winter* sacerdotem,

tem. Cum ergo supervenissem & perfectam reformationem assumere deberent, contigit, Principes terrarum ibidem convenire, & de *divisione terrarum fratrum, Saxonia & Turingia ducum & Lantgravicorum* habere tractatus. Nam Archiepiscopus Magdeburgensis, *Fredericus*, Dux Saxonie & Misnie Marchio, *Wilhelmus* Turingie Lantgravius, *Fredericus* Marchio Brandenburgensis, & Lantgravius Hassie, pater modernorum Landgraviorum; Item Episcopus Merseburgensis, Nuenburgensis, Missinensis: Comites multi, ita ut numerus Principum esset pene triginta, præter abbates, milites, barones, & totius Marcie primores, interfuerunt. Dixit autem mihi Marcgravius Brandenburgensis: Domine Pater, vos vultis Dominos istos reformare. Quis scit, an pater vester S. Augustinus habitum vestrum portaverit, an istorum Dominorum? Respondit Præpositus summæ Ecclesiæ Halberstadenfis, *frater Archiepiscopi Magdeburgensis*: in habitu isto incedit Dominus eorum Archiepiscopus Magdeburgensis & non in habitu ipsorum: oportet ergo, ut sint sibi conformes. Ego autem dixi, omnes reformati terræ hujus in isto incedunt habitu, & non in habitu ipsorum. Respondit: Pater meus juxta *Nurembergam* instituit monasterium hujus ordinis in habitu ipsorum: sed Præpositus quandoque dormit cum mulieribus, & non est diu, quando hoc facere cœpit. Et ego: Ergo non sunt reformati, ut prædixi, & ita quievit. Principibus istis recedentibus, dedi conventui statuta nostra ad perlegendum, ut viderent, si ea vellent assumere: qui uno ore omnes contradixerunt. Dixi ergo Præposito Jurium Baculario, fratri Archiepiscopi, Halberstadenfis Ecclesiæ Præposito, qui dux verbi fuerat coram Archiepiscopo: ut Dominus Magdeburgensis tunc in crastinum per se rediret; ego modum excogitarem nocte illa, quomodo statuta nostra eos oporteret assumere. Scripsi interim scedulam verba sequentia continentem: *Ego Frater N. peto perpetuam licentiam à Reverendissimo Domino meo Archiepiscopo & à Præposito meo, alium eligendi Prælatum, sub quo regulariter vivere potero, cujus suceptionis mee literas infra mensem mecum volo deferre ad Prælatum meum; quam si habere non potero, vel si mihi hic placuerit remanere, tunc jam promitto sub pœna carceris & aliis pœnis tunc meritis mihi infligendis, quod servare volo regulam & statuta Patris de Sulta.* Reversus autem Dominus Magdeburgensis tunc in crastinum in præsentia conventus, per oraculum Præpositi Halberstadenfis dixit omnibus, quod se reformare deberent juxta regulam & statuta nostra. Qui nollent, quod legerent scedulam præfatam, & scirent, se esse demembratos post mensem à suo monasterio, quia Dominus Magdeburgensis libentius haberet, quod in quinque annis non cantarent sed legerent horas, quam quod tales, regulæ suæ transgressores, ibidem habitarent. Præpositus igitur & Plebani in civitate dixerunt, se velle obedire, & ita permanserunt. Sed Prior & Procurator & plures alii scedulam legerunt, & eam sub pœnis, & in ea contenta, servare promiserunt. Prior ergo & Procurator quia tunc de gremio monasterii non esse reputabantur, fratrem *Rothgerum de Wittenborch* ordinavimus in Priorem, fratrem *Everhardum de Richenberge*, qui post fuit Prior in *Hamersleve*, in Suppriorum & scholasticum, fratrem *Johannem Winter* in Vestiarium. Antiquus Prior & etiam Procurator in monasterio permanserunt: sed tali occasione ab officiis eos amovimus, & reformatos bonos fratres in locum eorum disposuimus, qui dictum monasterium in bona reformatione juxta statuta & regulam nostram optimè conservarunt. Prior enim *Rothgerus* tam Præpositum quam omnes fratres in virga ferrea, zelo disciplinæ animatus, gubernavit, ita ut Præpositus Dominus *Nicolaus Spiet*, qui pius homo & proceræ staturæ fuit, libenter eorum voluntatibus acquiesceret. Videntes post hæc fratres nostri præfati, quod Præpositus eorum induci poterat ad resignandum officium Præposituræ, & in veritate probantes, quod perfecta reformatio in nullo mundi monasterio diu poterit subsistere sine Prælato bene reformato: Idcirco per Dominum Magdeburgensem subornaverunt, ut Præpositum ad resignandum in manus suas inducerent propter bonum reformationis, quumque id prudenter factum fuisset, Dominus Magdeburgensis mihi in *Sulta* patri, *Johanni Busch*, de eadem Præpositura providit, & in Præpositum illius monasterii confirmavit. Scripsit ergo Domino Magno Hildeshemensi Episcopo, Domino *Egardo* Hildeshemensi electo Præposito, & in *Sulta* conventui, ut me rogarent & ad hoc animarent, ut dictam assumerem Præposituram: quoniam solemne est monasterium XXX amplius personarum in religione professarum, Archidiaconatum habens pene viginti millium animarum, ita, quod simplex homo & Prælatus id gubernare non sufficeret. Propterea per Prælatos & Principes terrarum, nostrumque in *Sulta* conventum ad ejus assumptionem me inducere laboravit. Scripsit mihi etiam in *Sulta* tunc Prælato, simul transmittens provisionis & confirmationis nostræ instrumentum, sigillo suo firmatum. Sed & fratres mei ibidem, multum rogantes, id ipsum precabantur, cumque tardarem dare responsum, iterum atque iterum scripserunt, ut consentirem. Tandem ad consultationem Patrum & Prælatorum iter versus *Hallas* arripui, videre, quomodo se haberet negotium. Tunc Dominus Magdeburgensis & fratres mei valde caritative, humiliter & instanter consensum à me exoptularunt, aliam non videntes viam pro stabilitate reformationis ejus. Acquievi ergo ad omnium eorum petitionem: regimen tamen monasterii in *Sulta* plus quam per annum retinui; quoniam timui, fratres antiquos in *Sulta*, fratres per me ibidem investitos, posse subpeditare & reformationem in *Sulta* bene cœptam annullare.

Præpositus autem hoc modo factus fui [anno 1448] in *Novo opere prope Hallis*. Post consensum in chorum me introduxerunt super sedem ferream, serico tapeto & cusfino serico coopertam: ante gradum sanctuarii me inclinare fecerunt, quatuor candelas ardentes in quatuor partibus circa me collocantes: & magnis pulsatis campanis, *Te Deum* solempniter altissimis vocibus & in organis decantaverunt. Et cogitavi sic jacens: mortuorum exequiæ sic peragi consueverunt. Deinde in domum capituli introeuntes, præfente Præfate Halberstadenfi, Præposito Mariæ Magdeburg, & magistro *Thoma*, in medicis Doctore egregio, obedientiam manualement mihi præstiterunt; primo antiquus Præpositus, deinde fratres mei *Rosbergerus* Prior, *Everhardus* Supprior, & *Johannes Winter* vestiarius; quibus tamen ante prædixeram, quod illa obedientia mihi præstanda non duraret, nisi quam diu mecum staret; sed primi essent propter alios: ac deinde reliqui fratres domus, qui licentiam non petierant absentia, quamvis prius ad hoc valde difficiles extiterant. Recesserant enim ad dormitorium; sed præfati Prælati eos reduxerunt ad domum capituli, & tunc singuli ad profitendum accesserunt. Voluerunt etiam, ut *almucium varium*, sicut Archiepiscopus & Canonici Ecclesiæ cathedralis deferunt, etiam de cætero portarent, præsertim in festis & processionibus. Cantum autem nostrum in nostra præsentia assumpserant, antequam factus fui Præpositus. Contigit ergo in die Circumcisionis Domini, quod fratres rogarent Dominum *Bossonem* Præpositum Halberstadensem & Dominum *Petrum de Werden* seniores Ecclesiæ Magdeburgensis ibidem præfentes: si possent manere apud cantum suum, tunc divina facere vellent, quæ deberent. Hoc mihi narrantes præfati Domini, respondi: ego volo eis hic & etiam ad *Sanctum Maurium* dare similiter XX *florenos Renenses*, si Dominus Magdeburgensis permittere velit, ut apud cantum suum permaneant; & fratres nostros præfatos usque Pascha concedere eis, ut tunc in domos suas revertantur. Responderunt: oportet, ut hic per tres aut duos annos permaneant, aut omnibus diebus vitæ suæ, si bona reformatio hic debet permanere. Quibus dixi: Patres, qui mihi eos concesserunt, nolunt, ut alium addiscant cantum: qui tunc eos revocabant. Tunc responderunt: Oportet ergo, ut, cantum vestrum, & omnia vestra statuta & ceremonialia sicut assumpserunt, in eis perpetuo permaneant: alias reformatio ista deperiret. Scivi enim, quod ita erant responsuri. Promisi autem XX *florenos*, sciens, eos plus reformationem diligere, quam XX *florenos Renenses*. Mihi ergo non imputabant, quod in cantu nostro permanserunt, sed domino Magdeburgensi. Archiepiscopus *Fridericus* misit pro me & Præposito *Novi Operis*, cui dixit: Vultis libenter cantare cantum Præpositi *de Sulta*, sicut promisistis. Respondent: Senex sum, alium cantum discere non possum, libros nostros corrumpunt, delendo & inscribendo. Cui Dominus: vos ad formam non responderis. Non interrogamus, an senex sitis, an libros corrigitis seu deletis, sed an vultis obedire, sicut promisistis? Vos estis in castro, quomodo vultis hinc abire. Tunc ait: Reverendissime Domine, volo omnia libenter facere, sicut desideratis. Sic ergo apud cantum nostrum in hodiernum diem permanserunt; similiter & ordinantiam & statuta per annos plus quam LXX.

Præpositus ergo factus ibidem & confirmatus, non solum illud monasterium, sed etiam totum Archidiaconatum XI. miliarium reformavi, & in bonum statum reduxi. In mensa enim Præpositi Sancti Maurii ordinis nostri interrogatus, quid in terra illa facere intendere? respondi: hic novum mundum intendo facere, quod & feci. Assumpsi enim mihi valentem prædicatorem, decem præcepta prædicantem; & ab unoquoque præcepto non cessaret, donec illud opere completerent, ita, quod diebus celebribus omnes venditores rerum quarumcunque fenestras domorum suarum clauderent, & nihil venale exponerent; qui ante adventum nostrum, sicut diebus secularibus, ita & celebribus, cuncta in suis fenestris venalia exponerent. Quæ prædicator noster prædicavit, ego per oppidum *Hallense* & ubique præcepti observari; ita, ut Doctor quidam ordinis minorum in civitate *Nuenburgensi* populo prædicaret: *Hallis* decem præcepta prædicantur, & *Hallenses* illa diligenter observant. Nisi similiter feceritis, omnes condemnabimini. Contra usurarios similiter prædicavit, ita ut plus quam millia *florenorum Hallis* usurarii restituerent: & per ejus prædicationem usuram esse cognoverunt multa, quæ justo titulo se possidere putabant; & alia plura similia, in mandatis Dei comprehensa, per ejus prædicationem & nostra desuper mandata inducti *Hallenses* & tota patria, diligentissime observabant; ita, ut in meo ab eis recessu Præpositus *Montis Sereni* ordinis nostri mihi diceret: *Verè novum mundum hic in patria fecistis, sicut prædixistis.*

Quomodo resignavit Præposituram.

Cumque monasterium *Novi Operis* prope *Hallis* per septem penè annos honorifice in omni disciplina gubernassem, & novum mundum in communi populo & clero totius Archidiaconatus produxissem: ita, ut in Romana curia & apud Dominum Apostolicum *Nicolaum Papam* & cæteros Cardinales ac Prælatos ordinis nostri in Ecclesia Lateranensi & illius provinciali capitulo notus cum laude fuisset; unde & Papa literas Romæ per me missas legit, & cubiculario suo, Doctore decretorum, legendas tradidit; quia in eis scripsi, eundem Doctorem,

ctorem, cum Hallis legatus esset Domini Apostolici, partem tenuisse non reformatorem canonicorum regularium. Et quas tunc ad diversos Prælatos scripsi epistolas, *Johannis & Pauli* nominibus subscripti, nomine videlicet mei Novi Operis Præpositi, & nomine *Pauli*, decretorum Doctoris egregii, ad Sanctum Mauritium Hallis ordinis nostri Præpositi: quia pariter deputati fuimus per Dominum Cardinalem, per Almanniam à latere Legatum, visitare omnia ordinis nostri monasteria sexus utriusque, per Saxoniam, Misniam & Turingiam. Post plurimam dictorum monasteriorum reformationem *Dominus Magdeburgensis* concepit ad aliorum sinistram informationem aliquam contra me indignationem, qui ante me dilexit in tantum, ut ipse mihi dixit; quod nunquam ipse religiosum, ut me, dilexit. Sed juxta commune proverbium: Dilectio Dominorum non durat, nisi ad tempus; ita tandem tantus ejus ad me amor, ad pravorum injustam persuasionem cœpit intepescere, algere & exspirare; ita ut me de officio Præposituræ *Novi Operis* conaretur deponere, causas quasdam nullius momenti allegans. Misit ergo ad me Præpositum B. Virginis Magdeburgensis, ordinis Præmonstratensis, petens, vel officium ipse resignarem Præposituræ. Cui respondi: Cras vobis dabo responsum, quia vesperum erat. Manè respondi: Quoniam non possum prodesse monasterio, tunc nolo præesse, & locum melioris nolo præoccupare. Ex his verbis meis præfatus Præpositus, ad Cardinalem [Nicolaum Cusanum, qui obiit 1464] in Brixinam vadens pro reformatione, scripsit Archiepiscopo; quod vellem resignare. Misit enim ad me Capellanum suum Dominum *Johannem Bonic*, ut remandarem sibi, quando vellem resignare. Cui respondi, non dixi, quod vellem resignare: sed verba præmissa, quæ longum est repetere. Hoc audiens *Dominus Magdeburgensis* misit ad me Priorem & tres Plebanos civitatis, ut resignarem; & rogaverunt, ut per me sibi darem responsum. In crastino autem die Dominico, prandio factò, accessi ad eum in castrum *Gevekensteyn*; cui dixi, postquam me, surgens de sede, caputo deposito & manu porrecta suscepisset, sicut semper consuevit: Domine gratiose! vos mirabilia mihi demandastis. Ego multa pro vobis feci, & pro patriæ vestræ reformatione; jam mihi demandatis, quæ ad rem non pertinent. Rogo dimittatis me in pace. Qui respondit: Vos mihi fecistis, quasi prædecessori meo fecissetis, non accipientes mille florenos. Et intellexi, id fuisse, quando coactus fui consentire in centum florenos pro procuratione annuatim dandos. Tunc in manu habens instrumentum projecit illud ad mensam, ubi sedebat, dicens: Ego amplius nolo Præpositus vester esse in *Novo Opere*: ibi est præpositura vestra. Ipse verò manus suas retraxit, dicens: non recipio istam Præposituræ resignationem. Talem resignationem, sibi per me tunc factam, pro injuriis reputavit. Si prædecessori id fecissem, malè stetissem, ut putavit. Cui respondi: Et hoc amplius me diligere debuissetis, quod bona monasterii mihi commissi defendere laboravi. Finaliter in omni caritate tunc ab eo discessi. Post tres dies iterum ad castrum me vocavit cum Priore, *Hermanno Renis* & Plebanis, dicens mihi: oportet vos Præposituram resignare. Cui respondi: Volo cum istis fratribus meis loqui. Respondi ergo, ut vocarent de *Huyesborch* & *Berga* Abbates ordinis Sancti Benedicti; & de *Richenberg* (*) *Johannem Monstenn* & de (**) *Hammersleve* *Everbardum* Priores ordinis nostri: si mihi illi consularent, ut resignarem, tunc vellem resignare. Illud autem notavi, ut viderent, si legitimam causam resignationis meæ Archiepiscopus haberet, quod rursus sibi placuit. Cumque in castrum suum *Calvis* pariter convenissemus, tunc Dominus Magdeburgensis dixit mihi coram omnibus: Domine Præposita, vultis jam Præposituram resignare? Respondi: volo cum patribus istis loqui. Postquam locutus fui cum eis, remisi certos patres ad Archiepiscopum, qui dicerent: Rogarem, ut esset gratus Dominus meus, & dimitteret me in pace. Quibus respondit: adhuc per astutiam suam Præpositus permanebit? patres ergo præfati mihi dixerunt: Dominus Magdeburgensis non potuit à proposito suo per nos avelli. Dicatis, quod vultis resignare: putamus, quod non accipiet vestram resignationem, cum legitimam causam ad id non habeat. Finaliter respondi: Ego coram conventu meo volo resignare. Cum igitur Archiepiscopus ad monasterium nostrum venisset, convocato conventu nostro, dixit eis de mea resignatione, eorum ad hoc requirens consensum. Cui responderunt: Si onus Præposituræ pater noster portare non potest, tunc volumus consentire: sin autem potest portare, tunc nullo modo damus in hoc consensum. Cumque id mihi dixisset Archiepiscopus in præsentia conventus mei: ego surrexi, & dixi coram omnibus: Ego Johannes Præpositus monasterii *Novi Operis* resigno officium Præposituræ in manus conventus mei, & peto, ut Dominus Magdeburgensis consentiat, & siquid negligenter egi in officio, rogetis, oro, Deum, ut mihi ignoscat. Ad hoc Dominus Magdeburgensis consentit, & commisit mihi omnem auctoritatem, quam prius habui, absque titulo Præposituræ.

Abolutus ergo ab officio, dixi Domino Doctori *Paulo* Præposito ad *S. Mauritium*, convisitatori meo: istud non est summum gaudium: sed si Dominus Magdeburgensis aut Consulatus *Hallensis* possuissent me publicè in carcerem, & spiculator me in crastinum educeret, mihi dicens:

(*) Is obiit 1456.

(**) Is elig. 1453, ob. 1462. Hæc igitur gesta intra an. 1453. & 1456, scilicet anno 1455.

cens: iste Prælatus vester heri, jam debet suspendi, decollari aut rotari, vel igne cremari. Date denarium, ut pro ejus anima missa possit celebrari: hoc esset summum gaudium meum. Istud parum est; heri fui Præpositus, jam non sum. Si cum tanto opprobrio ad mortem fuisset condemnatus publice, hoc fuisset summum gaudium meum, quia sine causa ac culpa mea: vitamque æternam sine omni impedimento & statim tunc fuisset adeptus. Respondit Præpositus: nunquam vidi vel audivi talem hominem, hujusmodi desiderantem. Capitulo præcedenti scripsi, quomodo non quererem pro reformationibus mercedem, sed potius confusionem: hoc penè in fine neglexeram. Sed Dominus Deus ad memoriam mihi illud reduxit, & opere adimplevit. Archiepiscopus *Fredericus* duos optimos caballos, quos pro centum florenis non dedisset, libenter exposuisset, ut me rehabere potuisset, aut nunquam de mea resignatione cogitasset; dixit ejus Cancellarius. Et ego mille florenos modo non acciperem, quod illud factum non fuisset; quia Dominus in *Windesem* me remisit ad scribendum *de Viris Illustribus librum*, qui aliàs scriptus non fuisset; & ad plura alia, per me postmodum pro honore suo & animarum salute perficienda. Dominus Cardinalis *Nicolaus de Cusa*, legatus per *Almanniam*, in publica sessione totius provinciæ Prælatorum in civitate *Magdeburgensi* dixit; se in mandatis habere à Domino Apostolico, omnia suæ legationis monasteria reformare, & primò ordinem *Canonicorum regularium*: ad quod perficiendum, dixit, volumus assumere virum, à juventute sua in bona reformatione educatum, *Johannem Busch*, *Hallis* ad *Novum opus Præpositum*. Quum me nominasset: statim surrexi in omnium præsentia, & steti pro sua reverentia. Et adjecit: adjungimus ei *Doctorem Paulum Præpositum* ad *S. Mauritium Hallis*. Et, si opus habent, assumant Præpositum *B. Virginis Magdeb. Ordinis Præmonstratensium*, reformatum bene & plurima monasteria sui ordinis reformantem. Dedit etiam mihi & *Doctori Paulo* principalem auctoritatem visitandi & reformandi omnia nostri ordinis utriusque sexus monasteria, per *Provinciam Magdeburgensem & Maguntinam in Saxonia, Misnia & Turingia*, & obediens ab omnibus peccatis & criminibus ac ententiis absolvendi; quod in multis locis perfecimus, ut sequentia declarabunt. Misericordias ergo Domini in æternum cantabo, qui ab æterno me ad hoc prælegit, ut aliquem in ecclesia Dei fructum facerem, & me ipsum & alios multos in statum perducerem gratiæ & æternæ salutis.

[Recentior manus] *Erasmus Præpositus Novi Operis* quartus obiit 1489, XVII. Kal. Aprilis. *Nicolaus* ei in officio successit, qui obiit 1504. Cui successit Dominus *Johannes Gebinck* *Palatinus*, divini seu Pontificii juris egregius Doctor, tunc in Romana existens curia pro causa sui monasterii procurator; canonicè electus & penè ab omnibus fratribus.

CAPITVLVM DECIMVM QVINTVM.

De reformatione monasterii S. MAVRITII HALLIS.

Monasterium *S. Mauriti* ordinis *canonicorum Hallis*, tempore Domini *Guntheri* Archiepiscopi *Magdeburgensis* per nos & *Hinricum Cremer*, (*) in *Richenbergtunc Priorem*, inchoatum est reformari anno Domini M. CCCC. XLII: eodem anno, quo *Novum Opus* inceptum fuit reformari. Dominus enim *Magdeburgensis Guntherus*, vocatis venerabilibus Patribus, sacre pagine doctoribus, Magistro *Hinrico Taken*, canonico ecclesiæ *Magdeburgensis*, Domino *Hinrico Pfalterii*, *Heremitarum S. Augustini Provinciali*, & nobis: in propria persona accessit in domum capituli eorum, & per oraculum Domini *Hinrici Taken* Doctoris eis proponi fecit, ut se reformarent, & quantum possibile esset, se nobis in omnibus conformarent, sicut in *Novo Opere* jam consensum dedissent. Tunc unus eorum, *Frater Nicolaus Puell* dixit coram omnibus: Suntne omnes, qui hic ante nos fuerunt, condemnati? quid nos jam cogimur plus servare, quam illi servaverunt. Respondit magister *Hinricus Taken* omnibus audientibus: Qui homo diceret, quod, qui moritur in peccato mortali non contritus, non confessus; quod non esset condemnatus, censendus esset hæreticus. Tota autem sacra Scriptura dicit, quod fractor voti sui peccat mortaliter: ideo est plus, quam peccatum mortale, qui casus est Episcopalis. Vos ergo considerate, ubi sunt regulæ & votorum transgressores. Præpositus tunc ibi *Teylmannus* cum conventu suo, Archiepiscopo consentientes, dererunt se ad reformationem: sed difficiles valde fuerunt ad mutationem habitus & cantus juxta morem nostrum & statuta nostra. Communem autem vitam statim assumpserunt, & tria substantialia ordinis, proprii carentiam, continentiam & obedientiam, clausuram etiam, silentium intra capitulum, chorum & refectorium diligenter observare proposuerunt. Post hoc ivi cum eis ad chorum frequenter nocte ac die. Tenui eis capitulum, capitularem habens socium Magistrum *Stanslavum* (**) Sacre Theologiæ Bacularium de *Wartislavia*, postea ibidem

(*) qui præfuit ab ann. 1435. ad ann. 1445.

(**) Man. recent. Cum isto *Stanslavo* Præposito adhuc ierunt ad lites coram universitate *Liptzensi* *Martini* *Ranis*, &c.

ibidem Præpositum sive Abbatem, membrum studii universalis *Libicensis*. Qui coram nobis & conventu S. Mauritii ad mattam in capitulo se prostravit, ut doceremus eos formam culpas dicendi in capitulo, & fecit ibi omnia in culpas dicendo, in proclamando passive, in venia petenda, mattam osculando & similibus, juxta meam informationem. Et dixi Præposito & conventui, ut sic facerent singuli omni sexta feria. Præpositus vester capitulum istud servabit, si præsens fuerit: si non, tunc Prior capitulum istud servabit. Sæpius cum eis fui in refectorio, in choro, in claustro; & quantum tunc potui, ut nobis similes essent, laboravi. Visitator eorum & in Novo opere & in Monte Sereno fui cum patre de Richenberg *Hinrico Kremer* per quatuor annos, sicut illi de Monte Sereno pactum nobiscum fecerant de tanto tempore. *Gunthero* Archiepiscopo defuncto, Dominus *Fredericus de Bichelinck* in locum ejus electus & confirmatus est: qui amplius diligens reformationem, quam prædecessor suus, omni diligentia laboravit, ut in *Novo Opere* & ad *Sanctum Mauritium* se perfecte reformarent. Præpositus ergo *Teylo*, id considerans & se senio fessum; de consensu Archiepiscopi Præposituram resignavit. Ipse tunc & totus conventus Doctorem *Paulum*, conventus sui filium, Præpositum sibi unanimiter elegerunt: quem Dominus Magdeburgensis confirmare noluit, nisi nobis in *Novo Opere* omnino esset conformis. Confirmatio igitur ejus Domini diu fuit suspensa: tamen eam juridicè non omnino potuit refellere; quia persona electa vitâ, scientiâ & ætate fuit satis idonea. Venit idem electus Præpositus, valens Doctor decretorum, solus ad me ad *Novum Opus*, ubi tunc fui Præpositus, cui dixi: Domine Doctor! vos scitis, quod Archiepiscopus non vult vos confirmare, nisi nobis in habitu sitis similes. Si ergo placeat, hîc in cella nostra jacent tria subtilia vel quatuor. Si vultis induere, dabo vobis unum: qui statim consentit. Et accessi, & *scorticium suum exui, & subtile nostrum sibi indui*, & ita in habitu nostro præsentavi eum Domino Magdeburgensi in castro suo; qui ei tunc ad instantiam nostram gratis dedit confirmationem. In crastinum accessi ad Monasterium ejus: ubi antiquo Præposito, & omnibus fratribus conventus sui, subtile nostrum indui, mensas in refectorio posui, cymbalum in medio mensæ superioris appendi; benedicite & gratias more nostro cum ipsis cantavi, & cætera juxta tenorem statutorum nostrorum, quantum mihi tunc factibile erat, perfeci. [Manus recent. *Albertus* Archiepiscopus a. 1529. de consensu fratrum S. Mauritii exiit eis habitum, & fecit eos canonicos seculares in novo collegio Hallis, Ecclesiam permutans cum prædicatoribus.] Dominus Cardinalis *Nicolaus de Cusa* commisit mihi principalis & Doctori *Paulo* singulis annis capitulum provinciale in *Novo opere* Exaltat. S. Crucis servare: & nobis viginti monasteria ordinis nostri nondum reformata, in Magdeburgensi & Maguntina provinciis, capitulariter nobis unire juxta statum & ordinationem nostram mandavit: quod capitulum pluribus vicibus ego & doctor *Paulus*, & alii Præpositi & fratres nobiscum tempore præscripto servavimus, & adhuc hoc anno Domini 1470. in debita forma continuavimus.

Frederico Archiepiscopo defuncto anno 1464. Dominus *Johannes* Dux Bavariz, prius Episcopus *Monasteriensis* diœcesis, electus & confirmatus fuit in Archiepiscopum Magdeburgensem & Germaniz primatem. Hic Doctorem *Paulum* in suum juratum suscepit Consiliarium, qui exegit ab eo, ut se in omnibus, habitu, cantu, ceremonialibus, ordinatione, statutis, conformaret Novi operis monasterio; & generali capitulo de *Wyndesem* se & conventum suum subjeceret. Et consensum suum cum fratribus dedit ad omnia præmissa, majoribus parochiæ suæ in id ipsum consentientibus. Ad consultationem ergo patrum de *Richenberg* & *Hammersleve*, Priorum *Johannis* & *Bernhardi Vorlin* capucium more nostro induerunt, cantum assumerunt, tres fratres informatores de monasteriis nostris receperunt, fratrem *Wolterum Lunink de Wittenborch* in Priorem, fratrem *Teylmannum de Sultz* in Infirmarium, fratrem *Bertoldum de Richenberge* vestiariam, qui in spiritualibus jam regunt monasterium, Doctore *Paulo* Præposito temporalia gubernante. Deinde Doctor *Paulus* resignavit officium Præposituræ, & accepit in recompensam domum monasterii circa cimiterium ad vitam suam, & cibos pro se & duobus servitoribus suis, & omni anno LX. florenos, de consilio Abbatis Magdeburgensis ordinis S. Benedicti. Cum ego eum inde increparem tanquam proprietarium, respondit, quod Doctores consuluerint, quod ita fieri posset cum bona conscientia. Ipse habuit plura Glenodia preciosa, quæ omnia resignavit successori suo post mortem suam.

[Manus recentior. *Paulus* Præpositus resignavit anno domini 14. * retinuit tamen nomen Præpositi. (Succesfit *Teylmanno* sive *Teyloni*.) Sed Prior *Wolterus* (an. 1472 infra) gubernavit.

Didericus succesfit; præfuit annis 33, obiit senisimus, anno 1516. circa pascha.

Hinricus Closman Doctor S. Theologiæ, ibidem professus, eligitur in locum ejus Præpositus, Dominica Misericordias Domini. Absolvitur idem per Dominum *Albertum* Archiepiscopum anno 1519. circa Augustum, mortuo *Johanne*, Præposito *Novi operis*.]

De Reformatione Monasterii in ETTERSBOCH.

Monasterium in *Ettersboch* in Thuringia prope *Wimariam*, ad duo miliaria ab *Erfordia*, ordinis Canonorum regularium, Comites *de Glichen Ludovicus & Ernestus* mihi & doctori *Paulo*, in Novo opere & ad S. Mauritium Hallis, reformandum in temporalibus & spiritualibus tradiderunt; quod progenitores eorum illius fundatores fuerunt. Monasterium ipsum non sub Landgravio Turingiæ, sed fundus ejus sub Archiepiscopo consistit Maguntino. Comites isti in principio omnia ad id necessaria nobis procuraverunt, & ad conventum nos induxerunt, & eis, ut nobis obedirent, mandaverunt, omniaque bona monasterii, ubi sita essent, nobis demonstrarunt. Nos igitur antiquum Præpositum ad tempus in officio retinuimus. Deinde novum Præpositum de Novo Opere, fratrem *Hermannum de Arnhem*, mihi à capitulo de *Wyndesem* datum, ibi instituimus. Provisor autem Domini *Maguntini* Dominus *Adolphus de Nassau*, Canonicus tunc Ecclesiæ Maguntinæ, nunc Episcopus ibidem, dictum *Hermannum* in Præpositum confirmavit, cui plures de Novo Opere in adjutorium ejus concessimus. Assumpserunt ergo ibi statuta nostra capituli de *Wyndesem*, cantum, habitum, ceremonialia, ordinarium, & usque in præsens servant, sicut in Novo opere Hallis, & per XV. annos semper ita servaverunt. Post *Hermannum* frater *Henricus de Keyferswoert*, de Monasterio *Molenbeke* mihi datus, ibi usque ad mortem fuit Præpositus. Post eum *Hermannus*, tunc Prior in Novo opere, nunc est Præpositus ibidem, qui in bona disciplina, pace & concordia tenet fratres suos; similiter & in profectu temporalium: sicut Præpositus nunc *Novi Operis*, & ego in Sulda præsentatus hoc anno, ibidem visitatores, invenimus; qui usque nunc stant sub Præposito *Novi Operis* Hallis, & capitulo provinciali eorum uniri & incorporari sunt parati, quantum in eis est.

CAPITVLVM DECIMVM SEPTIMVM.

De Reformatione monasterii SANCTI SPIRITVS prope SOLTVEDEL.

Monasterium S. Spiritus ordinis canonicorum regularium, *Verdensis* diocesis in Marchia constitutum prope oppidum *Zolwedel*, hoc modo [anno 1470] reformatum est: Illustris Princeps *Fredericus* Marchio Brandeburgensis, Elector Imperii, Archicamerarius Imperii, Stettinensis & Pomerensis Dux, & Borchgravius Nurenbergensis scripsit Principibus Saxoniarum unà cum Episcopo *Verdensi*, aut ejus locum tenenti, quatenus dictum monasterium vellet reformare. Ad instantiam ergo & preces Dominorum præfatorum nos in *Richenberg*, in *Sulda*, in *Hamersleve* Priores ad præfatum monasterium pariter accessimus. Episcopus autem *Verdensis* misit nobis in occursum ad XX miliaria Canonicum Ecclesiæ suæ, Magistrum *Johannem Preen*, quondam officialem & suum Protonotarium, Dominum *Johannem Oletewaghen*, sigillum Episcopi secum habentem, qui in mandatis habuerunt, ut, quicquid nobis tribus Patribus visum fuerit sigillandum, id nomine suo sigillarent. Marchio etiam Brandeburgensis suos nobis in adjutorium misit ambasiatores. Anno igitur M. CCCC. LXX. in octava Epiphaniæ Ambasiatores Principum & Consulatus utriusque civitatis nobiscum monasterium S. Spiritus ingressi sunt, requirentes conventum & Præpositum monasterii, ut nos in visitatores auctoritate Apostolica reciperent. Qui deliberatione accepta, Episcopi mandata in scriptis requirebant. Ego autem vespere tria edidi mandata ****

XL.

MONACHI HAMERSLEBIENSIS

NARRATIO

DE

BASILICA GOSLARIENSI EIVSQUE
PRÆPOSITIS.

HENRICVS Cæsar Rex tertius, filius vel fover *Conradi*, Ecclesiam GOSLARIENSEM, cujus jam *Conradus* fundamenta jecerat decessor, regio cultu absolutam, dedicari fecit per manus sanctissimi Pontificis *Leonis* noni, præsentibus Cardinalibus, Episcopis, Abbatibus LXXIII. quam Ecclesiam idem Imperator voluit appellari